

RAPHAELIS
BRANDOLINI
LIPPI JUNIORIS
FLORENTINI
DIALOGUS

LEO nuncupatus, nunc primum in lucem editus, Notis illustratus, Auctoris Vita, aliisque additamentis auctus

A

FRANCISCO FOGLIAZZI
PARMENSIS J. C.

*Ubi plura, quae ad Historiam Seculi XV.
attinent, perpenduntur.*



EIGENTUM DER
K. UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK MÜNCHEN

VENETIIS, MDCCLIII.
Apud SIMONEM OCCHI.
SUPERIORUM PERMISSU.

11758



416 161 752 900 10





AMPLISSIMO VIRO
POMPEJO NERIO
PATRITIO FLORENTINO

In Austriaca Insubria Censuræ Præfidi Vigilantissimo, atque in Supremo Italico Consilio Regenti &c.

FRANCISCUS FOGLIAZZI
PARMENSIS J. C.


S. P. D.

Non invidorum, aut malevolorum morsus pertimescam, quin potius hoc meo studio, & labore delectabor, quo memoria Viri Optimi aliqua ex parte renovari videbitur, & alii multi excitari, qui hæc eadem copiosius elegantiusque rescribant, quo Latina Lingua abundasse præclaris ingeniis nostra tempestate aliquando judicetur, vel multos præstantes Viros meritis laudibus prosequantur, quorum præclarissime, amplissimeque acta vita ad hanc diem proprio honore fraudata, si celebrata a Scriptoribus fuisset, non omnino antiquis illis, quos tantopere admiramur, dissimiles domi, forisque crederemus.

Bap. Poggius Præf. ad vitam Cardinalis Capranica in Coll. Miscell. Baluzi Tom. III. pag. CCXXVII.

SI qua præstantium ingeniorum monumenta, quæ pessimo temporum vitio in tenebras derrusa summa adhuc cum rei literariæ jactura delitescant, digna sunt, Præses Amplissime, ut alicujus Principis Viri auctoritate suffulta lucem tandem aliquando respiciant, atque in ejus nomine reviviscant, ea profecto dignissima meo quidem judicio censenda sunt, in quibus egregia eorum facinora candida oratione celebrantur, qui veræ gloriæ cupiditate literatos, ac sapientes Viros quovis complexi beneficiorum genere, suam omnem in provehen-

a 3 dis



dis humaniorum disciplinarum studiis industriam contulerunt. Nam quum nihil hominum generi sit literis utilius inventum, nihilque ad excolendos animos, ac divinæ in iis naturæ semina excitanda validius, quippe qui literarum cognitione optime informati sublimi cogitatione paullatim e terra, ubi demersi sunt, sese erigunt, ac tandem feruntur in Cœlum ad contemplanda ea loca unde profecti sunt, quoque sibi aliquando esse redeundum non temere confidunt; quibus nos tantorum hominum memoriam studiis, & officiis non prosequemur, a quibus vel excitatas, vel auctas accepimus has Altrices cogitationum nostrarum, ac certissima tandem in terris testimonia immortalitatis animorum? In hoc ego argumenti genere exquisitum opus e fortunæ fluctibus in portum salutis detuli ac pro viribus etiam restitui, ut non omnino inculcitur, & squallens in manus hominum posset exire. Libellus iste si ex mole spectetur sua perexiguus, si vero ex materia, & rerum quas continet elegantia certe magnus honorificentissimo titulo inscribitur LEO; Leonis nempe illius X. P. O. M.

fa-

factorum, atque immortalium laudum cumulus est diligentia, industriaque perfectus: at cuius Viri? illius sane, quo nemo melior ad optima quæque studia fovenda, ac propaganda natus est, nemo liberalitate præstantior. Quotiescumque beatissimam in qua vixit ætatem recordatione complector (complector autem sæpiissime) eo egregia, propeque divina Herois hujus munificentiam deductam recolo, ut, florentibus mirum in modum literis, aurea, quod ajunt, Augusti tempora non æquasse modo, sed etiam, nisi me valde in re animus fallit, longe superasse videatur: qui enim Viri ea tempestate, Leone Duce, & Auspice extiterunt? quocumque te animo, & cogitatione converteris singulos excellentes in quoque genere videbis, nec eorum, quem potissimum laudes tam facile reperies.

Nunc hæc meas curas, Præses Amplissime, multæ sunt causæ, quamobrem tibi dicatas velim. Nam & tu is es, qui ad suscepti laboris metam studia nostra ductu, & auspiciis tuis alacriora fovens calcar semper addidisti, & currentem, ut ajunt, ad cursum provocasti. Præterea eadem tibi cum Leone X. Patrie

2 4

jura,

jura, & quam similia animi, atque ingenii studia id quodammodo postulabant, scilicet ut in tuo nomine revivisceret magnum hoc & Literarum, & Florentinae Civitatis lumen cujus es ipse Filius amantissimus; secus iniquo animo tulissem, te, qui & amas literas, hominesque harum scientia exultos benignitate tua comprehendis, ea postea non promovere, quae tuae Patriae, ac literariae totius Reip. maximo semper ornamento futura sunt. Sed ab hac quidem anxia cogitatione liberavit me illa Comitatus cum admirabili grati animi significatione conjuncta, qua meum hoc munusculum excepisti: nam etsi a tua modestia mihi fuerit maximopere timendum, vicit tamen amor literarum, quarum te Leonis exemplo tam munificenti Fautorem, ac Vindicem praebes, ut magnum in te positum nostrae aetatis ornamentum, certissimumque afflictis optimis ingeniis sperare praesidium debeamus. Illud vero nostram hanc de te conceptam spem, multisque rationibus confirmatam auget, quod ipse literatissimus es, humanioresque disciplinas, & civilibus usibus opportunas & fovere simul,

mul, atque in illis excellere pulcrum, & amplitudine tua dignum usque ab ineunte aetate existimasti: ex quibus qui a te percepti fructus sunt jam in omnium oculos quotidie versantur, quam ut publicam laudem effugere ob tuam moderati animi virtutem possint. Testis illa totius Jurisprudentiae, & publicarum rerum perfectissima cognitio, cujus ductu ad illas dignitates tibi aditum paras, in quibus te jure optimo suspiciant omnes: nam & tibi ab aliis honoribus abstracto, quibus fruebaris in Patria tua, census in Austriaca Insurbria perficiendi difficillima demandata est provincia, qui Magistratus & sanctissimus est, & quodammodo omnium in Rep. actionum consumatio; & cum tanta rei habeas arbitrium, ita te innocenter geris omnium judicio, ut alter Aristides, cujus tributam felicitatem appellantes Graeci ferebant in Caelum, (1) reputari merito possis; testes ea, quae in communem popularum utilitatem nuper a te confecta sunt volumina, de censu (2) perficiendo, deque Mone-
ta-

(1) Plutar. Vita Aristidis.

(2) Relazione dello stato in cui si trova l'Opera del

x
 tarum pretio, (3) in quibus quantum in-
 est consumatae prudentiae pondus, quanta
 subtilitas, quanta gravitas! nec silen-
 tio praeteream eruditissimas lucubrati-
 ones, (4) quas ante Magnum Codicem
 Legum totius Etruriae a te uno, nisi
 alibi fuisses avocatus, Augustissimi Cae-
 saris jussu compilandum, perficiendum-
 que, praemittendas censuisti: testis de-
 ni-

del Censimento Universale del Ducato di Mila-
 no ec. In Milano 1750. per Giuseppe Richino
 Malatesta in fol.

(3) Osservazioni sopra il prezzo legale delle mo-
 nete, e le difficoltà di perfinarlo presentate a
 S. E. il Signor Conte Gian-Luca Pallavicini
 ec. ec. ec. in Milano per Giuseppe Richino
 Malatesta 1751. in fol.

(4) Haec sunt numero novem Mss. in fol. In
 prima agitur de perficiendi totius operis ra-
 tione: in altera exhibentur tituli juxta in-
 stitutiones Justinianae ad Personas spectan-
 tes quibus Magnus Codex consilari debebat.
 Tertia habet titulos de rebus. In sex reli-
 quis de nobilitate accuratissime differitur,
 quarum tituli sunt hujusmodi.

- I. Divisioni Generali della Nobiltà.
- II. Relazione Istoria della Nobiltà di Toscana.
- III. Descrizione della Nobiltà di Firenze dalla
 Fondazione del governo, che fu detto popolare,
 fino alla riforma dell'anno 1532. per cui fu
 stabilito il Principato.
- IV. Descrizione della Nobiltà Civile di Firenze
 dalla Riforma dell'anno 1532. fino al presente.
- V. Dei Cavalieri di Santo Stefano.
- VI. Della Nobiltà di Siena.

xi
 nique mihi esse potest selecta, ac per
 ampla Bibliotheca in tuos usus compa-
 rata, (5) ad quam, ubi arduis & ma-
 teria, & magnitudine gerendis rebus
 aliquantisper vacas, tanquam in turis-
 simum te portum conferre soles. Plura
 persequer de amplitudine Familiae,
 de liberalitate animi, ceterisque virtu-
 tibus tuis, ut vera loqui me faterentur
 omnes, cum te literarum Fautorem, ac
 Vindicem dico, nisi te unum ex pau-
 cissimis esse cognovissem, qui digna lau-
 de praestare malunt, quam laudatorem
 audire. Neque jam te pluribus immo-
 ror, ut enim Flacci verbis utar:

Quum tot sustineas & tanta negotia solus
 in publica commoda peccem,
 Si longo sermone morer tua tempora . . .

Id unum abs te etiam, atque etiam ro-
 go, ut quotiescumque, intermissis cu-
 ris ad juveniles hos meos labores de-
 scenderis, mei tum, qui tuo nomini ad-
 dictissimus haberi volo, tibi animo su-
 beat recordatio. Vale.

Mediolani, Kal. Sept. MDCCLII.

ERU-

(5) Hanc ante nos merito celebravit Cl. Vir
 Antonius Cocchius Mugellanus in lib. cui
 titulus: Lettera Critica sopra un Manoscritto
 in Cera all' Illustriss. Sig. D. Pompeo Neri.
 Firenze MDCCXLVI. in 4.

xii
ERUDITO, ATQUE HUMANITATE
P O L I T O
L E C T O R I.

CUm ego amplissimos Viros Pompe-
jum Nerium, & Camillum Blum-
bantum, alterum in Austriaca Insu-
bria Censuræ Præsidem, alterum verò a Consi-
liis, ambos mutua familiaritate conjunctos, &
publicarum rerum usu, & literarum cognitio-
ne præstantes salutandi gratia convenissem,
multaque effemus, quæ ad rem literariam per-
tinent, colloquuti, forte de Florentinis Scri-
ptoribus incidit sermo, quorum a nobis sum-
mopere laudabatur industria: Neque prius tam
jucunda congressio dimissa est, quam commemo-
rarem de amœnissimo Raphaelis Brandolini
Lippi Florentini Dialogo Ms. *Leo* nuncupato,
a me fortuna quadam inter venales libros in-
vento, dum Parmæ degens politiorum litera-
rum studiis addictus, omnium ejusdem gene-
ris Scriptorum indagator valde sollicitus fa-
ctus essem; ac profecto digno, ut, cum ob
multa scitu utilia, tum ob multiplices Leonis
X. laudes incorrupte celebratas, ab iis potissi-
mum

xiii
mum legatur, qui judicare aliquid de præstan-
tibus XV. seculi ingeniis merito possunt. Quod
ubi pronis auribus excepissent, manu mihi sta-
tim apprehensa (nam cum summo & virtutum
& dignitatis splendore, quod in paucis suspi-
cias hoc tempore, admirabilem quamdam com-
mitatem uterque conjunctam habet) ne diutius
tanto bono sæpius a me, ut ajebant, devora-
to literariæ totius Reip. inviderem, utque au-
reum eruditorum judicio libellum legendum
tandem omnibus traderem humanissimis ver-
bis hortati sunt, & paratam jam meam, at-
que eorum hortatu maxime concitatam perfici-
endi negotii voluntatem omnibus officiis, ac
studiis in posterum fovere non neglexerunt.
Hæc tibi præfari volui, Lector humanissime,
ut intelligeres quæ me causæ impulerint, ut
Dialogum de Leonis X. Laudibus a me antea
in sinu gestatum in publicam lucem emitte-
rem, ut scilicet literariæ Reip. quoad possem,
prodessem, ac tantorum virorum voluntati pa-
rerem. Ut vero id me diligentius præstitisse
judicaretur, quæ ad Auctoris vitam illustran-
dam pertinere sum arbitratus in unum colle-
gi, ejusque opus, ut modo dicebam, de Leo-
nis X. laudibus pro viribus etiam auxi adno-
tationibus quibusdam meis.

In quo mihi plus fuit temporis exhausti-
 dum, quam antea putaram; plurimum nam-
 que legendis Auctoribus ab instituto opere non
 alienis, & perpendendi, ac dijudicandi, inve-
 niendique studio tributum est, cui, aliis sæpe
 negotiis impeditus vix satis otii suppeditare
 potui: præterea meum hunc conatum ex plu-
 rimorum favore, & voluntate pendentem (ut
 in hujusmodi rebus plerumque usuvenit) aliud
 ex alio retardavit. Sed tamen hanc præteriti
 temporis querelam præsens Raphaelis operis
 tollet adspectus, in quo, si nihil erit quod
 meos labores approbes, novitatis gratiam cer-
 te laudabis, quos cæteroquin mihi conscius
 sum non fuisse tam exiguos: ut enim prius
 commemorem quæ de ipsius Raphaelis vita col-
 legi, cum pauci admodum de eodem memi-
 nerint, fueritque diu in maxima hominum
 ignoratione versatus, durum mihi in primis
 fuit aucupari ea, quæ genuina magis videban-
 tur, de quibus quæstiones sæpe numero co-
 ctus sum instituere, & quodammodo philoso-
 phari. De meis vero in Dialogum animadver-
 sionibus nihil audeo dicere; verumtamen has
 quoque ex probatissimis Scriptoribus sedulo de-
 cerptas, ibi apponendas duxi duplici potissi-
 mum de causa: nimirum, ut quæ de Leonis
 X. lau-

X. laudibus tam ornate a Lippo referuntur,
 non assentatorie, & scurriliter excogitata (quod
 vitium in Jovio plurimi cum Bruto (1) repre-
 henderunt) gravissimorum Auctorum testimo-
 niis ostenderem; ac integerrimam ejusdem Leo-
 nis X. munificentissimi post hominum memo-
 riam Literarum Patroni famam ab improbo-
 rum morsibus laceratam præ virili parte vin-
 dicarem. Si proposito muneri integre non sa-
 tisfeceris, aut siquid reprehensione dignum inve-
 nies, ut invenies certe plurima, te mihi, Le-
 ctor, facile veniam daturum confido, quin
 cum sis & eruditus, atque humanitate poli-
 tus meam hanc paratam saltem, promptissi-
 mamque voluntatem æquo, libentique animo
 excepturum. Vale.

NOI

(1) Præf. ad Hist. Flor.

NOI RIFORMATORI

Dello studio di Padova.

A Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed approvazione del P. F. Paolo Tomaso Manuelli Inquisitore nel Libro intitolato: *Raphaelis Brandolini Lippi Junioris Dialogus Leo Nuncupatus*. Non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi e buoni Costumi, concediamo licenza a Simone Occhi Stampatore di Venezia che possi esser Stampato, osservando gl'ordini in materia di stampe, e presentandole solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 13. Gennaro 1752.

(Gio: Emo Proc. Rif.

(Barbon Morosini K. Proc. Rif.

(Alvise Mocenigo 4. K. Proc. Rif.

Registrato in Libro a carte 47. al num. 407.

Gio: Girolamo Zuccato Segr.

IL

ILLUSTRUM VIRORUM

D. E.

RAPHAELE BRANDOLINO

TESTIMONIA.

Jo: JOVIANUS PONTANUS.

Tom. I. de fortitudine lib. II. cap. VIII. de cæcitate, & malis aliis corporis.

Lippus Florentinus puer vidit, nunc adolescens, quamquam utroque oculo captus, non minus tamen assidue Rhetorum, ac Philosophorum auditoria frequentat. Mirum illi studium rerum antiquarum, mira cura latini sermonis, mira etiam in amicorum congressionibus jucunditas, & cum paupertate simul, ac cæcitate laboret, licet adolescens, quæ ætas minime apta est patientiæ, utrumque malum ea æquitate fert, ut neutrum sentire videatur.

HERMOLAUS BARBARUS.

Epistola ad Lippum Brandolinum, ab Aldo Manutio edita ad calcem orationis de Passione Domini, Aurelii Brandolini anno MDXCVI. Invenitur etiam inter Epistolas Clarorum Virorum editas Venetiis ex Typographia Guerrei, Dominici, & Jo: Fratrum anno MDLXVIII. in forma octava pag. cxx.

Cognitus mihi pridem fama Lippus. Extemporalis in homine facundia, oratione tam profa, quam versu clarus; urbanitas in eo tanta, ut nec lepor in differendo, nec candor in iudicando desiderari posse videatur. Nunquid te

A

non

TESTIMONIA.

non delinio? non ad unguem exprimo? an quia procul ab Urbe sum propterea contueri te non possum? aut auris plerumque non oculi vice fungitur? Jam epistola; quam nuper ad me de honoribus meis scripsisti; ecquid non ejusmodi est; ut in ea conspici totum te mihi liceat? qualis ingenio; quantus eruditione sis velut in speculo reluceat? Nihil ista contemplatione certius optari potest: ipsa frons, ne inspectoribus quidem semper comperta fallit; imago mentis; & animi monumenta nunquam: Nam & tu me de Themistio novisti, utinam tam feliciter; ut falli potueris: sed ignosce tamen, adolescens; atque adeo puer ea coepi vertere, cum tu me Neapoli desidentem vidisti. Quamquam Bembo noster humanitatis flos, politiarum pater; homo cum doctrina; tum morum elegantia visendus; ita de me sentit, ita predicat, ut necesse sit, prorsus ei credere. Hac est sapientiae proprietas, ut, qui sapientibus viris placent, ipsi quoque sapientes habeantur. Utcumque sit, jacta esse inter nos amicitiae magnae fundamenta video. Ipse de te non solum bene, sed vere sentio, tu item de me non pessime: haec sunt benevolentiae futurae quasi semina, rudimenta quoque. Reliquum est; ut alamus haec initia mutuis operibus. Imbecilla sunt in omni genere primordia, nisi communiantur, foveantur; colantur; facile dissipari consueverunt: Vale. Venetiis Kal. Feb. MCCCGLXXXVII.

Ut primum hanc epistolam legi, dubitare coepi, utrum Aurelio, aut potius Raphaeli nostro ab Hermolao scripta fuerit. Neque fortasse injuria; etsi auctores omnes; qui de Aurelio scripserunt, ad ipsum missam putent, seu, ut verius loquar, supponant, inter quos Aldus Manutius, qui, ut aliquod efferret de hoc au-

ctore

TESTIMONIA.

ctore testimonium, ad calcem Orationis de Passione Domini; ut vidimus, edendam curavit. Quae me autem movent rationes, ut aliter sentiam, haec sunt praecipue. Animadverto in primis; Epistolam datam esse Venetiis Kal. Febr. anno MCDLXXXVII. scriptamque ab Hermolao Lippo Brandolino tunc Romae degenti; ibi: *An quia procul ab Urbe sum, propterea contueri te non possum?* &c.

At fieri nulla prorsus ratione potuit; ut Raphael per illud tempus Romae degeret; cum jam antea in Pannonia apud Matthiam Corvinum profectus esset. Neque in Italiam reversus est; nisi post mortem illius Regis; quae contigit anno MCDXC. ut optime sentiunt auctores, ephemeridum Italicarum Tom. XX. art. VII. Ac nisi mortuo tanto Rege in Italiam rediisse ab Epistola nuncupatoria a Raphaeli praefixa tribus libris de comparatione Reip. & Regni facile erui potest: Siquidem ibi asserit Aurelium; illud opus jussu Matthiae Corvini Pannoniae inceptum, interveniente illius Regis obitu; Florentiae per Dialogos absolvisse; quod cum iis; quae ab Aurelio ipso narrantur in eisdem operis proemio plane convenit. Neque minus dicendum erit; Aurelio fuisse scriptam ab Hermolao Epistolam supra relatam; antequam in Pannonia proficisceretur; etenim a tempore; quo ipsa data est; hoc est ab anno MCDLXXXVII. (quo anno Romae Aurelium fuisse; euge; supponamus) ad tempus ejus in Italiam reditus hoc est ad annum, ut vidimus, MCDXC. tres tantum anni intermedii numerantur: Verum & absurdum, & ab ipsa rei veritate omnino alienum videtur dicere, trium tantum annorum spatio Aurelium in Pannonia commemoratum fuisse; si attendantur onera quibus incubuit in eo Regno; accedente Histori-

A 2

co-

TESTIMONIA.

corum auctoritate Pontanii, & Bergomensis, qui de illo aperte scripserunt: *A Matthia gloriosissimo Pannoniorum Rege ascitus, & Budæ, & Strigoniæ, multis annis publico munere Oratoriam docuit*: Præter quam quod Aurelius, quod sciam, numquam Neapoli diversatus est; Hermolaus autem ad quemdam Lippum scribit, qui Neapoli aliquando commoratus fuit, ibi: *sed ignore tamen, adolescens, atque adeo puer ea cepti vertere, cum tu me Neapoli desiderem vidisti*: Igitur neque antequam in Pannonia proficisceretur, neque post ejus in Italiam reditum, neque tempore his interlapso ad Aurelium Epistola data est. Cui nam ergo, nisi Raphaeli Brandolino Lippo ejus germano auctori synchrono (neque præter hunc synchronum inveni neminem) atque hæc eam probationem faciant, quæ negando coalescit, nam & aliæ nobis præsto sunt, quæ rei, de qua disputamus, ita coherent, ut nihil supra. Animadvertenda occurrit in primis mira quædam similitudo inter verba Pontani, & Hermolai in exprimenda Lippi illius indole. *Pontanus* de ipso adhuc adolescente: *mira etiam in amicorum congressionibus jucunditas: Hermolaus* vero de eodem: *Urbanitas in eo tanta, ut nec lepor in disserendo, nec candor in judicando desiderari posse videatur*: Accedit ad hæc, quod ex citato Pontani loco aperte colligitur Raphaelem nostrum Neapoli studiorum causa degisse; ergo illius epistolæ parti, in qua de Lippo, qui Neapoli dicitur commoratus, plane satisfactum videtur. Quo vero tempore scripta est epistola anno nimirum MCDLXXXVII. Romæ tum Raphaelem ipsum fuisse diximus in vita. Quare si hæc simul omnia attendantur, non est cur jure dubitemur, Epistolam ad eundem Raphaelem datam fuisse, eum hoc ratio ipsa convincere videatur. Hæc
a me

TESTIMONIA.

a me tamen Eruditis diligentius examinanda traduntur, quorum judicio in rebus, de quibus dici ratiocinando multa possunt omnino standum esse mihi proposui. Afferamus reliqua.

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS
FERRARIENSIS.

In Dial. de Poetis suorum temporum col. DXL. Edit. ejus operum cura Joannis Heinsii, Lugdun. Batavorum anno MDCXCVI. in fol.

Duos hic vobis, & item duos, hos cisalpinos, illos transalpinos, miraculi causa commemorare succurrit potius, quam alia re insignes, qui cæci ambo, & ambo Lippi fuerunt.

Non his inferiores duo Lippi Etrusci fuerunt: quorum ego utrumque orantem audivi. Alter quidem Aurelius ex Augustinianis Eremitis fuit; prius vero apud Pannonum Regem, alioque Principes diversatus, mox Romæ tandem pestilentia decessit Innocentio VIII. Pont. Max. Alterum vero, & tu, Juli, mecum non semel prælegentem publice, & orantem audivisti. *Et quidem*, inquit Julius, *nam & Juniores Berwaldum memini dicere, jocosè quidem ut putò, Lippum solere orationes habere venales, easque pro licitantium pretio*. Cui ego; feruntur ista quidem: hic utique extemporali facultate etiam insignis; seu prosa, seu versu velitis, non multo ante hos dies a Leone X. jussu cum Marone certare in Medicorum Cosmiana solemnitate victus cessit. *Deinde*.

Ex alia Italiæ parte occurrit Andreas Maro noster Foro-Julienis, quem & Brixiani suum faciunt. Hunc extemporalis facultas etiam commendat, adeo ut superioribus his mensibus (ut modo dicebam) in Cosmiano Leonis X. convivio, cæteros, qui multi aderant

6 TESTIMONIA.
Poetas, proposita materia, quam referrent ex tempore, obmutescere quasi elingues fecerit, inter quos Lippus:

JOANNES ANTONIUS FLAMINIUS
FOROJULIENSIS.

Libro II. Epistolarum.

Epist. II. ad Leonem X. Pont. Max. Ubi tanti Pontificis in se, atque in Filium propensissimam voluntatem, ac munificentiam predicavit, de Raphaelae haec habet.

... Sed & illud, quam honorificum, quam singularis humanitatis tuae praclarum indicium, quod ipsum adolescentem, statim ac diligentissime quidem Lippo tuo Oratoris summo commendaris &c.

I D E M.

Epistola XI. libri V. ad Marcum Antonium Flaminium Filium.

Ex literis, & sermone B. Vetturii cognovi mira cum voluptate, quam feliciter communitatem, hoc est parentis, ac tuam simul rem egeris, quam benigne, quam humaniter, quam honorifice te primum quidem Cardinalis Cornelius, & Arragonius, ac demum Pontifex ipse Maximus exceperit, atque tractaverit. Est quod tecum Diis gratias ingentes agas. Ea consecutus es ornamenta, eam laudem, ac decus, quae perpauca etiam in omni genere disciplinarum consummatissimis contigerit. Ea nos fama secuta est, ut si nulla etiam alia merces sequatur amplissimam putare hanc debeamus. Quid enim gloriosius, multis jam retro seculis quam nobis contigit? de iis loquor, qui sui monumenta ingenii summis viris consecra.

7 TESTIMONIA.
fecerunt. Accedit, quod ego vel praecipuum vel caeteris equiparandum puto clarissimi Viri, & in literis eminentissimi Raphaelis Lippi in ipsis Pontificis Maximi aedibus contubernium, in quod non tu quidem clientis more, sed ut filius receptus es. Taceo quo studio, qua diligentia, quanta humanitate, quibus verbis mandaverit, omnes meas de te curas, atque hanc pene orbitatem levare atque leniri, quia vir prudentissimus, quique paterni affectus quanti sint non ignorat, facile intelligebat, quam dura, quamque difficilis futura esset unici filii absentia, nisi magna paternae aegritudinis remedia adhiberentur. Quem tu nactus tantum Virum, Fili, si te vetus paterni nominis vis atque potestas, amorque tangit, ita cole, ita venerare, sic observa, ut non quemadmodum cliens patronum, sed (ut omnia complectar) sicut amatissimus filius genitorem optimum, ut illius amore, benevolentia, immo pietate favore ac pollicitationibus quam maxime dignus invenire. Nullam tot vigiliarum nostrarum mercedem, nullum praemium majus ducas, atque huic anteponendum putes. Vale.

I D E M.

Epistola XVII. libri V. ad ipsum Raphaelem Lippum.

Mirifica me voluptate affecerunt Marci Antonii Flamini Filii mei literae, tum ob alia multa, quae longum esset perscribere, tum quod in tuam clientelam, immo vero contubernium mira comitate illum, & humanitate receperis. Omitto qua spe, quamque liberalibus promissis, quae quidem ego tanti facio, ut non plura caetera, si conferantur. Nam quid desu-

A 4

turum

titum Filio putem meo, qui te sit nactus
 tantum virum in literis consummatissimum, sa-
 pientia, vitæque integritate cum raris compa-
 randum; pollentem verò tanta apud Pontifi-
 cem Maximum auctoritate; tanta illi devin-
 ctum charitate, ut qui te amicum nactus fue-
 rit, non modo id gloriæ sibi, sed & magno
 emolumento fore; dubitare non debeat. Du-
 rum mihi, ac vix quidem tolerabile futurum
 fuit pene in orbitate destituto, nisi talia; &
 unici absentiam filii æquo ferrem animo face-
 rent. Quam verò delinitum me, atque demul-
 ctum oratione tua putas, quam mihi retulit
 nuncius, quem Filius ad me remisit, cum tuis
 etiam mandatis, ut mihi diceret; bono uti ef-
 fem animo, omnia de te sperarem, nec pau-
 ciora; nec minora, quam a parente filio expe-
 ctanda sint. Et quia tu is es; de quo & spera-
 re, & polliceri mihi possim omnia, non aliter
 futurum credidi. Cave putes quicquam fuisse
 mihi optatius, quodque majus; ac efficacius
 curæ non mediocri levamen attulerit. Non du-
 bito quæ sequentur, quæque in illum abs te post-
 hac proficiscentur majora fore, ac illustriora;
 & quam maxime tam bonis similia principiis.
 Flaminium ergo meum, quoniam tu mei vices
 geris, ac meas partes subiisti commendare non
 audeo, ne mei dissimilis appaream, & tantæ
 videar fidei, ac humanitate tuæ dissidere; quæ
 quidem tanta est, ut putem, ea te patrios af-
 fectus, qui vehementissimi sunt, æquare. Quod
 si facerem tamen, & paterna pietas, cujus vis
 summa est, & unici, ac forte non poenitendi
 filii, atque in longinqua missi loca respectus
 excusabilem redderent. Sed hæc quidem apud
 te tanti fore non dubito; ut exactissimæ cujus-
 que sint commendationis vim habitura. Vale.

IDEM

IDEM AD EUNDEM.

Epistola XVIII. lib. V.

Dedimus superioribus proximis diebus ube-
 riores literas meæ (ni fallor) in te fidei, ac ob-
 servantia testis. Iterum volui scribere; quod
 sum facturus, quoties ad Filium literas dabo.
 Nec vereor, ne tibi fastidium afferat sedulitas
 hæc mea, ex meo quippe animo metior; ami-
 citiam non posse sentire officiorum satietatem.
 Sed hoc ego nunc feci libentius, quod ad ipsum
 Pontificem Maximum, cujus *est ipse oculus*, scri-
 psi, ut, vel auctoritate, qua plurimum polles,
 vel gratia, quæ tibi apud illum summa est; no-
 stras literas adjuves, & efficias ut fiant gratio-
 res. Cæterum, quæ ad conciliandam inter nos
 amicitiam, quæque pro filio a genitore tibi
 scribenda videbantur, abunde, ni fallor, pro-
 ximis sum literis executus; nisi forte, quæ de
 concilianda diximus amicitia supervacanea pu-
 tes, quod bonos omnes, ut Plato inquit, ami-
 cos esse oportet, etiam si sint minus noti. Fi-
 lium tibi non jam commendo, quod scio non
 esse necessarium, sed tuas literas vehementer
 expecto. Vale. Ex Foro Cornelii MDXIV.

ANDREAS GUARNA SALERNITANUS
 CREMONENSIS.

*De Bello Grammaticali. Cum ageretur de se-
 danda ficta illa controversia inter verborum, ac
 nominum proceres de Raphaelæ cum laude me-
 minit.*

..... Missi itaque in verborum castra
 legati, ex nominibus prudentiores, absque ali-
 qua difficultate constitutis primum induciis,
 in hanc postremo cum verborum Rege, ejus-
 que

que Proceribus devenere sententiam; ut scilicet tres eligerentur Viri omnium grammaticæ usum, regularum, & terminorum periti, quorum decisioni, arbitrioque utraque pars per sancte jurata stare deberet. Enim vero grandis fuit difficultas, & maxima inter partes contentio, quibusnam id munus potissimum hujusmodi demandaretur, multis eam provinciam ambientibus, aliis alios nominantibus, & nominatos aliis improbantibus; demum Prisciano, Servio, Donatoque approbantibus, in infra scriptos cuncti unanimiter consensere. Phadrum scilicet Volaterranum Canonicum Basilicæ Apostolorum Principis, singularis eloquentiæ Virum, & extra omnem ingenii aleam positum; Petrum item Marsum Laurentii in Damaso Canonicum eruditissimum, ac Raphaelem Lippum Florentinum Oratorem insignem: qui cum in castra advocati advenissent, partibus utriusque juribus auditis, re inter ipsos accuratius considerata, hanc postremo sententiam protulere (*hic affertur sententia, plura continens ad recte loquendum, scribendumque necessaria*) postmodum hæc leguntur Prædictis insuper Arbitris, omnium consensu irrevocabilis potestas, & perpetua censura data est, Grammaticulos omnes Grammaticæ corruptores, semilatinosque, & semigræculos, tanquam naturæ monstra inquirendi, puniendi, relegandi, omneque id faciendi, quod bonarum literarum cultum, augmentumque concernere animadverterint. Quod ut facilius, aptiusque exequi possent, iussi sunt, ut Curiam Romanam continuè sequerentur, quo non tam bonorum Virorum frequentia confluit, quam malorum feces se frequenter exonerat: quæ quidem auctoritas Pontificalibus, Imperialibusque amplissimis privilegiis corroborata dinoscitur, & præ

TESTIMONIA. II
& præcipue Sanctissimi D. Nostri Julii Pontificii II. incomparabilis, cujus memoria numquam intermorietur.

IDEM loco cit.

Paullo antequam supra relata de tribus illis præstantissimis Viris prædicasset

Multa sunt, inquit, in ea temporum licentia & introducta verba nova, & explosa vetera, & nisi præstantissimi tres Viri, quos paulo infra harum litium Arbitros electos fuisse narabimus, singulari solertia Grammaticorum quorundam petulantia obviassent, tanta fuisset latinæ linguæ immista barbaries, ut de illius decore, elegantiaque fere desperatum foret.

SERAPHINUS EREMITA.

Epistola IV. ad Nicolaum Mannium Capenatem in Tom. III. Veterum Monumentorum Martene, & Durand. col. MCCXL.

..... Scis diu mihi in conquirendis undique Ægidii Patris amplissimi Epistolis haud ingratum laborem, quibus & libellum ipsum jam composui. At cum his proxime diebus quamdam scriptorum suorum urnam, ut hominum mos est amantium, aperirem, nonnullos Clarissimi Viri illius Almadiani, cui equidem neminem unquam præferendum censui, aliquas vero D. Jo: Botonti, cujus vitæ sanctitudo, morumque gravitas urbis istius sui generis hominibus lucidissima semper extitit: præcipue insuper Viri olim illius Carpini unam; Brandolini, Raphaelis binas..... quas una omnes novo alio quoque pulcro libello Ægidii Patris amplissimi epistolis summa orthographiæ arte, quo vix a te reprehendi possint, inserui.

De

Demum, ut talium Virorum Epistolas transmittat quascumque, amicum enixe rogat, quas se eo, ut supra diximus, contexturum ordine pollicetur, ut e rosis, atque liliis sertum prope divinum composuisse videatur ad calcem XXVII. Novembris MDVII. Iliceti.

NICOLAUS TOPPIUS:

Bibliotheca Neapolitana par. II. pag. CCLXVIII. edit. Neap. an. MDCLXXVIII. in fol.

Raphaele Brandolino Napolitano, ma d'origine da Procida, Isola vicina a Napoli, essendo cieco da natività, rese eccellente, ed eminente nell' arte Oratoria, Istoria, e Poetica. E' fama, che, chiamato in Napoli in presenza del Re, facesse un bellissimo panegirico in sua lode, e che dopo lo rivoltasse in versi: per lochè gridò il Re, *Magnus Orator, Summus Poeta*, ed ottenne dalla Maestà di quella per sostegno della sua vita, un annua provvisione di ducati cento nell' Esecut. 3. 1495. fol. 122. nel Grande Arch. della Reg. Cam. con queste formate parole.

CAROLUS DEI GRATIA FRANCIAE, SICILIAE, ET
HIERUSALEM REX &c.

Pauperibus, ac studiosis Principem hominibus providere, etsi gratia plenitudo suadeat, pietatis, ac beneficentiae officium etiam quodammodo compellit. Sane attendentes naturam in oculis defectum, & varios fortunae casus, ac potius non mediocre ingenium, in literis dilecti nostri Raphaelis Brandolini caeci à nativitate, pietate quadam, ac propria beneficentia moti, ut suum circa literarum studia ingenium alet, & debita servitia, quae per ipsum

ipsum praestari possunt, prout fideliter ac studioso nunc praestat Majestati nostrae, speciali illum nostra gratia dignum benemeritum reputantes, praesentis intuitu, eidem Raphaeli Brandolino caeco a nativitate ut supra, exercitato in arte Oratoria, Historica, & Poetica, ad suam vitae decursum, pro ejus vitae sustentatione, & duorum, qui eidem Raphaeli in studiis serviunt, annuam provisionem, sive pensionem ducatorum centum de Carolenis argenti ponderis generalis, per eum annis singulis mensatim a die primo praesentis mensis Aprilis Anni XIII. Ind. ratam dictorum Ducatorum Centum, in, & super juribus proventibus, & introitibus majoris Fundici, & Dohanæ Civitatis nostrae Neap. damus, donamus, tradimus, & libenter elargimur &c. Datum Neap. in Castro nostro Capuanæ. Die XVIII. Mensis Aprilis Anno Domini 1495. & Regnorum nostrorum Franciæ XII. Siciliae vero, & Hierusalem Primo. Charle. Per Regem Robert visa, Cum eseq. Regiæ Camerae in forma.

BERNARDINUS TAFURIUS.

Istoria degli Scrittori nati nel Regno di Napoli Tom. II. Part. II. pag. CCCLVI.

Raffaele Brandolino Napoletano; benchè Originario di Procida, Isola non molto lontana da questa Città, cieco fin dalle fasce, ma coll' ajuto di buoni maestri, e colla perspicacia del suo elevato ingegno, giunse ad esser buon Poeta latino, Oratore, e versato nelle storie: ma le sue composizioni latine si sono affatto perdute, e solo abbiamo notizia d' un Orazione.

De Laudibus Regis Caroli VIII.

La quale recitò in presenza di quel Monarca, e nell'atto medesimo la tradusse in versi con istupore; e maraviglia di tutti gli astanti, non che di quel Re; ch'ebbe a chiamarlo *Magnus Orator, Summus Poeta*; e da quel tempo tanto affetto gli mise; che compassionando il suo miserevole stato, li donò un' annua pensione di ducati cento, come dal seguente diploma; che ci è piaciuto qui intieramente trascrivere, non ostante che prima di noi il Dottor Niccolò Toppi l'aveva fatto stampare nella pag. 268. della Bibl. Napolitana, parlando del Brandolino. *Ac statim subjicit diploma a nobis supra exscriptum.*

I O: C I N E L L I U S.

In suo MS. opere degli Scrittori della Toscana; Florentia in Mediceo-Laurentiana Bibl. adservato: Codex cartb. est in fol.

Raffaello Brandolini il Vecchio: Questo è stato dal D. Niccolò Toppi nella sua Biblioteca fra li suoi Napolitani annoverato anch'chè Fiorentino. Che poi da esso fermatosi in Napolitano gli altri discesi, può essere; avendo egli in quella gentil Città goduti stipendj. Fu cieco *a nativitate*; ma assai buon oculato nell'arte Oratoria; Istoricà e Poetica; nelle quali fu eccellente; onde essendo alla presenza del Re Carlo chiamato, fece all'improvviso un eloquente; e bellissimo Panegirico in laude dell'istesso Re; facendone dopo immediatamente la parafrasi in versi; per la quale virtuosa; ed ammirabile fatica; proruppe il Re a queste parole gridando *Magnus Orator, Summus Poeta*, e li asse-

assegnò ben tosto sopra la Dogana di Napoli scudi 100. d' annua entrata, come apparisce per le deliberazioni dell' anno 1495. adi 18. Aprile nel libro delle esecuzioni del grande Archivio della Regia Camera 122. come pure il Toppi stesso attesta.

Deinde.

Raffaello Brandolini Giovane oratore non indotto, fece un' Orazione assai dotta; che per l'eleganza dello stile fu molto stimata; la quale con bella industria è intitolata: *de laudibus Cosmi Medici*; che manoscrittà nella Libreria di S. Lorenzo conservasi, quale è indirizzata a Leon X. per la Festa de' Santi Cosimo; e Damiano.

His adnecte *Montfaucon, & P. Dominicum Antonium Gandolfum*; quorum primus in sua Bib. Biblioth. Mss. Tom. I. nonnulla Raphaelis nostri opera adnotavit; alter vero in Diss. de ducentis Celebr. August. Script. dum libros de comparat. Reip. & Regni Aurelii Brandolini referret, eam Epistolæ posttunculam ibi a Raphaelæ præfixæ in medium attulit, quæ ad Raphaelis simul, & Aurelii laudem pertinere arbitratus est: *Prior, inquit, Epistola est Raphaelis nostri Aurelii Fratris..... inter alia hæc cernuntur: etsi ejus in hoc genere laudis assequendæ spem mihi effulgere non videam, imitandi tamen, ejusque vestigiis inhaerendi studio semper incumbo.*

I O: M A R I A M A N C U R T I U S,

Tom. I. Specim. Literat. Florent. pag. cix. assert titulum cujusdam Codicis Mss. in *Stroziana Bibl.* in quo continentur Epistolæ plures ad Laurentium Medicem, aliosque ejusdem Gen-

Gentis missæ a nonnullis literatis hominibus, in quorum numero est *Lippo Brandolini*: Utrum sit Raphael noster, nec ne, non possum definire certo: sola codicis inspectio fortasse de rei veritate certiores nos reddere possit. Deinde pag. ccxxxv. exhibet nonnulla de *Laudibus Civitatum Florentinæ, & Soanenſis*: ibi, inter insignes Oratores, quibus Florentia gloriatur, *Lippi viri doctissimi* etiam recensentur: Fortasse Aurelium, & Raphaellem Lippos Albertinus intellexit. Sed hic quoque inest iusta dubitandi causa: de iis tamen admonere lectorem, non abs re mihi visum est.

DE

DE RAPHAELIS
BRANDOLINI
JUNIORIS LIPPI FLORENTINI
VITA
COMMENTARIUS
FRANCISCO FOGLIAZZI
PARMENSIS J. C.

AUCTORE.

I. **B**randolinam Gentem antiquitate perillustrem ad unum omnes dicunt qui de ea meminerunt (i). Putant aliqui a Brando illo Magdeburgico originem habuisse principi Viro, & magnæ auctoritatis, qui cum ad debellandos Gothos comparato exercitu in Italiam trajecisset, ob præclara ejus gesta facinora Bagnacaval-

(i) *Sansovino* in suo de Familiis Illustribus Italice Commentario pag. cxxxr. & seq. Fuit *Andreas Chiavenna* Bellunensis in Hist. cui titulus: *Delle più nobili imprese fatte nelle guerre più famose d'Europa dall'anno DXL. sino al presente MDCXLVIII. da Signori Brandolini*, ch'ora possiedono la Contea di Valmarino, e la Casalidia di Suligetto Lib. V. In Padova per *Giulio Crivellari* in forma quarta. Fr. *Thomas Herrera* in Alphabeto Augustiniano. P. *Aloysius Taurellus* in suis seculis Augustinianis. *Tullius Nigrus* de Flor. Scrip. *Joannes Bonifacius* Hist. Tarvisina lib. II. pag. mil. DCXXIX. ibi de Brandolina Familia: *Della qualle antica, e nobile prosapia, che ha prodotti tanti uomini illustri, e fatta ricordanza da molti orovati Scrittori.*

vallum nobile Oppidum in Æmilia a Belisario dono acceptum possedisse dicitur (2). Utur se res habeat, id unum satis exploratum est, celebratissimam hanc Gentem Bagnacavallum ab antiquis usque temporibus tenuisse, unde reliqui in posterum Brandolini non levi conjectura orti creduntur. Cum enim plerique armorum (ut illius temporis mores ferebant) genio ducti foris bellicam laudem conquisivissent, (3) diversa etiam in loca sæpe ad habitandum concesserunt, aut bellorum vicibus coacti, aut Principum beneficiis, quorum stipendia promerebant, allecti: hinc tanta perbrevis eorum est consecuta propagatio, ut nulla jam fuerit tam culta, ac tam celebrata Civitas, quam Brandolinus aliquis non pervaserit (4). Hunc maxime in modum in Etruria quoque Gentem hanc antiquitus (5) penetrasse dixerim, ac Florentiæ

(2) Consulendi *Sansovinus*, & *Chiavenna* locis superius indicatis,

(3) Strenuos hujusce Gentis Milites, ac fortissimos exercituum Duces; post sexcentos, qui Historias illorum temporum ediderunt, accurate recensuit cit. *Chiavenna*.

(4) Singulas Brandolinæ Familias per præcipua sparsas Italiæ loca longum esset recensere; celebriores tamen, quarum cognitio ad rem nostram facit, sunt quæ Venetiis, Neapoli, Foruolivii, & Florentiæ confederunt. Brandolinam Familiam Venetiis antiquitus exceptam, & plurimis honoribus adhuc efflorentem illustravit *Chiavenna* supra relatus, quod est ejus Historiæ scopus: de altera vero, quæ in insula Prochyta appellata parum a Neapoli distat confedit, *Toppius* egit in sua Bib. Neap. par. 11. pag. cclxviii. de Brandolinâ Foroliviensi Familia omnes hujus urbis scriptores, cum *Chiavenna* cit. & noviter etiam cum laude meminit. *cl. Murat.* in Præf. ad *Annales Casenatentes* in Tom. xiv. *Scrip. Rer. Ital.* de extrema tandem, quæ Florentiæ viguit, inferius agemus.

(5) Hoc equidem valde antiquitus contigisse dicendum est; nam usque ab anno MCCLXXI. cum Guelforum, & Ghibellinorum factiones in Etruria grassarentur, inter eas Familias, quæ a Ghibellinorum partibus steterant Brandolini receduntur; ut apparet ex *Mss. Adversariis*

Fote

Florentiæ sede firmata pristinum decus insigniter auxisse illos adeptam honorum titulos, quibus

B 2

bus

Ferdinandi Leopoldi Meliorii apud Cl. Biscionium, quæ horum omnium, in quibus de Brandolinâ Gente aliquid adnotavit Meliorius, concinnatam quamdam synopsis mihi humanissime elargitus est. Ibi adyer. num. 2. *Nella nota delle Casate chiarita Ghibelline nel MCCLXXI. tratta dal libro del chiado, essente nella parte a CLXXXII. si legge: Ghibellini di contado per S. Pietro Scheraggio: Ugolino di Bernardo, e Pecora Brandolini da Monte Varchi.* Florentinam hanc autem Familiam ab illa, quæ Bagnacavallo dominata est, originem habuisse, omnis reliquis, quæ ingenio, & conjectura indulgendo hac super re probabiliter dici possent, ex quibusdam Chiavennæ verbis in cit. *Hist.* non obscure arguemus: Siquidem lib. iv. pag. cxxxix. ad annum MCDLXXXIV. hæc habet. *Fiori in questi tempi Lippo Brandolino (Aurelius Gilicet) Zio dell'i predetti (Hectorem, & Jo: Comitem intellige, de quibus supra egerat) che fu soggetto prestantissima in ogni scienza, soavissimo in particolare nella Poesia latina, come tuet ora si vede nella bellissima Elegia composta, nella morte di Battista Platina suo cordialissimo amico, ed in un Dialogo spiritoso scritto al Re Mattia d' Ongaria, di cui fu molto familiare, e da cui parimente per il servizio delle sue molte virtù ricevè di continuati favori, e proventi, e fu in diverse onerevoli cariche di legazioni sovente impiegato. Io mi confesso molto obligato alla degna memoria di questo ingegno, senza la scorta del quale non avrei saputo che con filo intevrotto portarmi alla fine della mia impresa. Da una sua elegantissima latina scritta al Platina, conservata tra Mss. del Vescovo Lollino di questa Città (Aloysium Lollinum indicat Venetum Patritium, & Belluni Antistitem, de quo erudite Petrus-Catharinus Zenus in notis ad vitam Andreæ Maurocenii ab ipso Lollino conscriptam Tom. V. *Scrip. Rer. Venet.* ec.) n' ho cavato quanto m'ha fatto di mestiere per l'albero, ed azioni de' Brandolini sino a suoi tempi.* Haftenus quidem illiquid vero hac narratione opportunius? Constat, Aurelium Florentinum esse Civem, tamen a Chiavenna, qui Familiæ Brandolinæ Historiam ex citata ipsius Aurelii Epistola digessit, dicitur duorum superiorum Hectoris Gilicet, & Jo: Comitum Patruus, qui ex ea certe Brandolinam gentem sunt, quæ Bagnacavallum possedit. Quamobrem jure ambigi haud posse videtur Florentinam hanc quoque Familiam ab eademmet supra memorata una cum reliquis descendisse.

bus vera Nobilitas a Florentinis (6) probari solet. Profecto etsi obscura pene sint omnia, & antiquitate obruta, quæ ad ipsam illustrandam magis conducerent, locum tamen valde conspicuum Florentiæ in libera civitate habuisse constat, atque ad Magistratus, qui omnium maximi habebantur, ex ea lectos plures, magnam de bene gesta Rep. laudem promeruisse. Siquidem Viros habuit supremo Priorum honore (7) pluries summo Civium suffragio affectos, ex XII. viris (8) item, atque ex XVI.

(6) Magistratus in libera Florentina Rep. principes, qui veræ nobilitatis apud Florentins certissima habentur testimonia, documentaque; tres in primis fuerunt omnium primus Magistratus Priorum, alter XII. Bonorum Hominum, tertius Vexilliferorum urbanæ militiæ, vulgò *dei Confalonieri delle Compagnie*. Tribus hisce Magistratibus plures Brandolinæ Familiæ viri adscripti inveniuntur, pro Quartario S. Crucis sub Vexillo Bubulci, quorum nomina suo quæque loco infra exscribere fert animus; cum multum lucis Genealogiæ Brandolinæ occupatura videam.

(7) Ad supremum Priorum Magistratum electi occurrunt qui sequuntur.

Magister Christoforus Georgii Medicus. Jul. 1393.

Magister Christoforus Georgii. Nov. 1399.

Magister Christoforus Georgii Medicus. Jul. 1409.

Christoforus Magistri Christofori Georgii. Jul. 1420.

Magister Christoforus Magistri Christofori Georgii. Januar. 1423.

Bernardus Magistri Christofori Georgii. Jan. 1428.

Julianus Georgii Magistri Christofori Georgii. Nov. 1450.

Paulus Georgii Magistri Christofori Georgii. Jan. 1454.

Matthæus Georgii Magistri Christofori Georgii. Mar. 1458.

Franciscus Bernardi Magistri Christofori Georgii. Maji 1474.

Joannes Baptista Francisci Bernardi de Brandolinis. Maji 1518.

Joannes Baptista Francisci Bernardi de Brandolinis. Nov. 1526.

(8) Inter vero XII. bonos homines adnumerantur infra scripti.

XVI. urbanæ militiæ Vexilliferis (9) habuit etiam hæc Familia non paucos, quibus Magistratibus unice totius moderandæ Reip. constituendæque jus erat. (10) Nec defunt qui gra-

1390. Magister Christofanus Georgii Medicus. 15. Sept.

1401. Magister Christofanus Georgii. 15. Junii

1416. Magister Christofanus Georgii Medicus. 15. Sept.

1423. Georgius Magistri Christofori Georgii. 15. Sept.

1434. Joannes Magistri Christofori Georgii. 15. Dec.

1453. Paulus Georgii Magistri Christofori Georgii. 15. Junii.

1457. Julianus Georgii Magistri Christofori Georgii. 15. Junii.

1460. Julianus Georgii Magistri Christofori Georgii. 15. Junii.

1477. Franciscus Bernardi Magistri Christofori. 15. Mar.

1509. Christoforus Juliani Georgii de Brandolinis. 15. Septembris.

1524. Joannes Baptista Bernardi de Brandolinis. 15. Septembris.

(9) Ex XVI. urbanæ Militiæ Vexilliferis, vulgò *delle compagnie* fuerunt.

1381. Magister Christofanus Georgii Medicus. 15. Martii. Extractus loco Leonardi Berti defuncti in officio.

1406. Magister Christofanus Georgii Medicus. 8. Januarii.

1421. Magister Christofanus Georgii Medicus. 8. Maii.

1424. Georgius Magistri Christofori Georgii. 8. Septembris.

1432. Christoforus Magistri Christofori Georgii. 8. Maii.

1461. Paulus Georgii Magistri Christofori Georgii. 8. Januarii.

1464. Paulus Georgii Magistri Christofori Georgii. 8. Maii.

(10) Erat & Vexillifer Justitiæ qui Remp. una cum iisdem moderabatur, sed neque rem aliquam definire inconsulto Priorum Magistratu poterat, neque plus ejus supra Priorum quemquam valebat auctoritas, ad quorum electum (*propositum* vocabant) unice spectabat mandata, & responsa referre reliquorum nomine. Verum quidem est, post restitutionem Magni Cosmi reliquis Magistratibus paulatim depressis justitiæ vexilliferum summam potestatem fuisse adeptum; nam, ut aliquis tempèr ex Magni Cosmi familiaribus ad illam dignitatem evehebatur, ita ad ipsius Cosmi arbitrium tota moderabatur Rep.

22 RAPH. BRANDOLINI VITA.
 Vissimas pro Rep. legationes nobilium generi
 mandari solitas summa prudentia sæpe obje-
 rint, (11) aut equestribus insignibus pro me-
 ritis

Resp. quod fieri omnino necesse fuit; ut Medicei Impē-
 rii fundamenta jacerentur. Itaque illustres pari gradu
 hac censentur familiæ quæ Justitiæ Vexilliferos, quam
 quæ Priores antiquitas fortitæ sunt. Immo insigniter er-
 rant aliqui parum in Flōrentina Histōria versati, qui pu-
 tant; eos ad supremos Reip. honores non pervenisse, qui-
 bus ex Prioribus; aut Justitiæ Vexilliferis haud esse
 contigit; nam re ipsa ii etiam; qui binos alios; quos
 supra memoravimus; xii. Bonorum Hominum; & Vex-
 illiferorum; vulgo *delle compagnie* Magistratus genere
 summos Reip. honores adepti sunt: cum omnibus eadem
 fuerit potestas data; iisdemque suffragiis crearentur; ut;
 si quis forte ex Prioribus potius quam ex aliis Magistra-
 tibus; aut e contrario eligebatur; id totum aut faventis
 fortunæ; aut adversantis in *scrutinio*; quod ajunt;
 deberet. Non tempero mihi; quin subjungam; in Bran-
 dolini Familia summum Justitiæ Vexillum etiam fuisse;
 nam in catalogo eorum qui ad supremam hanc dignita-
 tem pervenerunt a Francisco Juntino digesto; editoque
 ad calcem Hist. Nardi Edit. Florent; ita scriptum le-
 gitur.

*Brandolini. Q. S. C.
 Maestro Cristoforo di Giorgio
 Genajo, e Febrajo 1425.*

Præterea Christophorus Brandolinus Georgii F. unus fuit
 ex Electoribus Vexilliferi perpetui; nominavitque Thomam
 Morellum Paulli F; quamquam Petrus Soderinus
 Thomæ F. postea electus fuerit; ut omnibus constat.
 (11) Magni in Florentina Rep. momenti censebantur illi;
 quibus publicæ negotiorum procuraciones committeban-
 tur: quare quidquid hac super re de Brandolinis collegit
 Meliorius in cit. Ms. adversariis non abs re erit hic af-
 ferre. Ibi ad ver. num. 1v. *Esstratti d'Accomandigia dalle
 Riformazioni a 8. 1375. 30. Dicembre Maestro Cristofano
 di Giorgio de' Brandolini, ovvero Brandaglino Fiorentino,
 e Procuratore del Comune di Firenze compra Effetti di Ma-
 ria Masina già Moglie di M. Ugono Conte Armadio 1.
 Prot. 3. a 245. 1403. a 24. Ottobre I Santi della Repu-
 blica Fiorentina eleggono 8. Cittadini sopra le cose di Pi-
 soja per farvi paci ec. e fra questi vi e M. Cristofano di
 Giorgio Medico de Brandolini a 126. 1451. 1. Dicembre Pao-
 lo di Giorgio del Maestro Cristofano Cittadino Ambascia-
 dove*

RAPH. BRANDOLINI VITA. 23
 titis decorati fuerint, (12) vel qui sebus for-
 titer gestis jam clari ad propagandum genus
 conversi præclarissimas Familias sibi affinitatis
 vinculo conjunxerint; (13) quorum quidem
 Viros præstantiam publicam etiam marmorea
 monumenta declarant; quæ intacta in hunc
 usque diem nobis vetustas reliquit; (14)

II. Ex hac igitur tam splendida Familia Ra-
 phael

B 4

*dove al Duca di Milano, e ivi in detto anno a 14. Marzo
 detto Paolo Ambasciadore a Milano per fermare la condot-
 ta del Sig. Guglielmo Fratello del Marchese di Monferra-
 to. Adver. vero num. v. pag. ccv. habet: Offiziales Tur-
 ris vendiderunt Conventui S. Joannis Evangelista quod-
 dam frantum, Scacchum freti in Populo S. Laurentii....
 Fra questi Offiziali in secondo luogo v'è Cristoforus Geor-
 gii Brandolini il contratto fu fatto a 15. Ottobre 1388....
 Tandem ad ver. num. Lxx. pag. Lxxxvi. legitur: Nel
 1394. fra i sei Consiglieri; e Officiali dell'arce de' Mercan-
 tanti eletti per riformare alcuni abusi si legge Miser Chri-
 stophorus Georgii Brandolini, Artium; & Medicina doctor.*

(12) Vide *Paullum Minium* in sua de Florentinorum No-
 bilitate differ. pag. cxli. Scipionem Admiratum Familia-
 rum Nobilium Florentinarum par. 1. pag. xcvi. Edit. Flor.
 anno MDCXV. Meliorium in cit. Adversariis. Adver.
 num. lxx. pag. cccxxvi.

(13) Illustriores Familias cum Brandolina gente cognatio-
 ne junctas, enumerat Meliorius in sæpe cit. opère; & si-
 gnanter ad ver. num. xxv. pag. ix. & num. lxi. pag. lxxii.
 item Adver. v. pag. cxcix. & seq. Consule etiam Euge-
 nium Gamutrinum in Hist. Genealogica Familiarum Etru-
 riæ &c. Vol. I. pag. cxxx. Edit. Flor. an. MDCLXXIX.
 & Vol. IV. pag. ccv.

(14) Publica etiam suppetunt Brandolinæ gentis monimen-
 ta splendida exstructa ex iis præsertim; quæ in memo-
 riam illustrium mortuorum erigi solent. In Divi Mineæ
 Phano sepulcrum visitur cum Brandolinæ hujus gen-
 tis insignibus; sed litera adeo sunt antiquitate exarsæ
 ut legi amplius nequeant. Florentiæ vero in Templo S.
 Crucis bina item conspiciuntur sepulcra magnifice exor-
 nata; in quorum primo sequens inscriptio.

SEP.

24 RAPH. BRANDOLINI VITA,
 Raphael Brandolinus Junior Lippus natus est,
 (15) ac

SEP. MAGNIFICI CRISTOFANI
 GEORGII DE BRANDOLINIS
 DOCTORIS IN MEDICINA ET SUORUM.
 In altero hæc.

D. O. M. SEP. HOC CHRISTOPHORI
 GEORGII DE BRANDOLINIS
 ET SUORUM VEFUSTATE
 CONSUMPTUM GEORGIUS DE
 BRANDOLINIS HYEROSOLIMITANI
 ORDINIS EQUES TIBERIUSQ AGNATI
 POSUERE ANNO DOMINI MDXCIV.

In templo Divo Marco Sacro visitur altare ab hac Familia magno certe sumtu excitatum & marmoribus splendidissime ornatum, ubi inter reliqua insignis adest tabula celebris Joannis Baptistæ Pagii manu depicta referens *transfigurationem* Christi Reparatoris in monte Thabor; ad illius altaris basim Brandolinæ gentis sepulcrum cum hæc inscriptione.

VINCENTIUS ET ALEXANDER BRANDOLINI
 GEORGII F. F. CHRISTOPHORI NEPOTES SIBI POSTERISQ. POS. ANNO MDXCVI.

Alio item in loco ejusdem Templi sepulcrum est, in quo hæc exculpta leguntur.


PHANI DE BRANDOLINIS ET SUORUM DESCENDENTIUM,

cujus etiam Divi Marci templi porta major, quod est penes ordinis Prædicatorum Fratres, & Brandolinis fuit propriis sumtibus intus columnis, ac pulcherrimis lapidibus mirifice instructam, & auctam, appositis undequaque eorum insignibus corollarum trium ex oliva in area alba *castello*, ut ajunt, rubeo superimposito, qualia nos initio excudi curavimus. Hæc autem omnia accepta refero præclaro Viro Bindo Simoni Peruzzio rerum Patriæ con-

RAPH. BRANDOLINI VITA. 25
 (15) ac Florentiam, civitatem amplissimam;
 totius Etruriæ caput dulcem Patriam fortitius;
 quod

consultissimo quæ ex publicis cujusque generis monumentis diligenter ab eo erutis, ad testandam Brandolinæ Familiam, a qua Raphael noster originem ducit, nobilitatem non potui in publicum non exhibere.
 75) De Raphaelis Patria satis clara sunt quæ attulimus: de ejus vero parente hæc suppetunt. Si Raphael Aurelium Fratrem habuit (Germanum autem illum appellat in Præfatione ad lib. de comp. Reip. & Regni) jam Patrem fortitum fuisse Matthæum Georgii F. satis constat, quem Patrem quoque fuisse ipsius Aurelii asserit Fr. Dom. Antonius Gandolfus in Dissert. de ducentis celeberrimis Augustinianis Scriptoribus pag. lxxxvii. quam quidem opinionem confirmat quoddam fragmentum arboris genealogicæ Brandolinæ gentis a Cl. Biscionio eruto, quod quale est hic placet asserere.

Brandolini Nobiles Florentini;



His non obstantibus plerique, quibus cum rem communicavi, opinantur, binos hosce clarissimos viros non esse dicendos Germanos Fratres, sed tantum Patruales, hoc est, e duobus Fratribus natos, rationemque potissimum desumunt a significatione, usu illa ætate, ut ajunt, recepta hujusmodi vocabuli *Germanus*, quod ita adhiberi tunc temporis solitum fuisse asserunt, (ut non Fratrem, sed Patrualem indicaret: sed ego consideratis tum rerum,

quod etfi a duobus præsertim. Neapolitanis
 Scriptoribus in controversiam revocari posse
 videatur, qui Raphaelem suum faciunt, tamen,
 præter Pontani, Giraldu, & aliorum testimo-
 nia, de quibus alibi differendum erit; suis ipse
 verbis dubitationem omnem de medio tollit,
 dum se non uno in loco Florentinum Civem
 fateatur: *suscipe*, inquit Leonem X. alloquens,
tu & civis, & servuli in Beatitudinem tuam pro-
pensissimam voluntatem; & in Epist. ad Cardi-
 nalem Alexandrum Farnesium de eodem Leo-
 ne X. loquens hæc habet: *Etenim eum a vobis*
declaratum esse Pontificem mecum animo revolve-
bam, quo cum mecum non eadem modo nationis,
et patriæ jurâ, sed non dissimilia animi, atque
ingenii studia intercederent.

III. Circa annum MCDLXV. eundem natum
 fuisse; ex quodam Pontani textu in Lib. II.
 de Fortitudine, commode (si conjecturæ locus
 sit) erui potest. Illud enim opus elucubratum
 fuit circa annum MCDLXXXV. aut paullo post;
 ut ex Epist. nuncupatoria ad Alphonsum II.
 Ferdinandi Filium colligitur, in qua illum Pon-
 tanus laudat, quia fortiter Turcas nuper ex-
 pulerit, & Hidruntum recuperaverit; quod
 eodem anno MCDLXXXV. plane contigit. Atqui
 per

tum Personarum adjunctis, & genuina supramemorati vo-
 cabuli significatione, Raphaelem nostrum revera fuisse
 Aurelii Germanum Fratrem libentius affirmarem. Verum
 ipsa inspectio arboris genealogicæ Brandolinæ Gentis, quæ
 in Archivio Magni Ducis arcano adservatur, rem omnem
 liquido patefecisset, quamque videre se minime potuisse
 Perazzius dolere; in ejus tamen locum mihi communicata
 vit quamdam aliam hujuscemmet gentis arborem a Baldel-
 lis prolatam in petitione Stephaniani Ordinis insignium,
 in quorum domum altera e duabus Fœminis ex Brandol-
 inis unice superstitibus nupta fuit sed nulla ibi de Ra-
 phaele, & Aurelio mentio occurrit, reliqua tamen con-
 veniunt cum fragmento supra relato. Tu, Lector, pro-
 veniunt cum fragmento supra relato. Tu, Lector, pro-
 tua in iis rebus eruditione in quam malles sententiam
 ibis.

per illud tempus Lippus noster adolescentiam
 erat ingressus: Pontanus loco cit. *Lippus Flo-*
rentinus Puer vidit, nunc adolescens..... que
ætas minime apta est patientiæ; adeoque anno-
 rum plus minus xv. Quare, calculo inito, cir-
 ca annum MCDLXV. natum fuisse non omnino
 temere asseremus:

IV. Iniquis porro temporibus lucem adspe-
 xit, quibus flexerat valde retro; paullatimque
 gradu suo delapsa; ad inopiam redacta domus
 erat. Cujus quidem rei, etfi initium, caussa
 que nulla plane comperta nobis est; non ra-
 men est ad divinandum difficilis. Quicumque
 animo revolverit quot discordiarum, ac bello-
 rum turbinibus vexata fuerit Florentina Civi-
 tas tum maxime cum Guelforum; ac Ghibel-
 linorum factiones grassabantur, quibus intectis
 animis ab ejus civibus in partes; inimicitias
 que discessum sit, facile intelliget præcipuam
 horum malorum causam ab hoc uno fonte esse
 repetendam. Nam per intestinas factiones
 familiarum bona sæpius direpta vicissim fue-
 runt, per civiles dissensiones, ac discordias ea-
 dem sæpissime consumta sunt, aut in Fiscum
 redacta, quam ad hæredes transmissa. Itaque
 dilapsa tandem refamiliari, & omni prope pa-
 trimonio a Majoribus impenso; liberis amif-
 sam domi fortunam quærere foris necesse fuit,
 quod Raphaeli nostro, & Aurelio ejus Germa-
 no contigit; ut a me infra dicetur.

V. Sed antequam id præstem, postulat hic
 locus, ut causam prius inquiram, cur Raphael
 aliquando *Lippus Junior* nuncupari solitus fue-
 rit: & primo quare dictus *Lippus*. Hac in re
 præmittendum censeo, non solum ex Pontani,
 & Giraldu testimoniis constare, Auctorem no-
 strum cæcitatismorbo laborasse, sed hoc etiam
 ex ejus ipsius verbis apertissime evinci: nam
 in

in Præf. ad Libros de Comparat. Reip. & Regni Aurelium laudans hæc habet: *In summa præsertim rei familiaris angustia, ex miserabili (quæ mihi cum illo communis est) cæcitate, quam ipsa rerum; ac temporum varia confidatio reddidit miserabiliorem.* Ex hac cæcitate ita etiam fiducia argumentum desumit in Orat. ad Concil. Later.... *Excusat deinde me, inquit, hujus cæcitatæ ratio, quæ omnem dicendi, audiendique ruborem, ac verecundiam omnino tollit; non enim vereor, ne si audacter, ac libere quippiam disseverero, si alicujus vitam, moresque paullo acerbius castigaro, vultu quispiam & gestu mihi contumeliam, atque injuriam minuetur, vel alicujus ego pudorem ac verecundiam aspiciens in medio orationis curricula deficiam.* Igitur cum exploratum habeamus, utrumque Germanum cæcum extitisse, Aurelium præterea unice ob oculorum cæcitatem Lippum fuisse appellatum, eadem omnino de causa Lippi cognomen Raphaeli inditum asseveranter affirmamus.

VI. Etsi ex iis satis appareat, quare etiam diceretur *Junior*; nonnulla tamen inexpectato enucleanda nobis, ac diluenda sunt, sententiæ nostræ, opinionique contraria. Rei diligentius investigandæ mihi ansam præbuit Cinellius, qui in quodam Opere de *Scriptoribus* (16) *Florentinis* binos Raphaelés Brandolinos fuisse affirmat; alterum senio, cui tribuit quidquid a Toppio, & Tafurio de Raphaelé Brandolino est memoriæ proditum, Neapolitanum tamen esse negat: *Junio* alterum, quem res ipsa eundem facit cum eo, de quo scribimus. Hæsi diutius, fateor, varia mihi opponendo; quæ pro Cinellio stare videbantur; tandem cum

(16) Jo: Cinellius in Ms. opere *degli Scrittori della Toscana* inscripto in Mediceo-Laurentiana Bibl. de quo infra.

ingenii mei imbecillitati valde diffiderem, alicujus literati viri consilium expetendum ratus, Comiti Joanni Mariæ Mazzuchello in hoc eruditionum genere, ut ejus scripta testantur, versatissimo literas dedi, procurante Carolo Tantio Mediolanensi Poeta per celebri in amicos tam propenso pectore; fide, & amore tam sincero, ut vix unum, aut alterum usquam invenias, quem illi omnibus amicitia numeris antefendum putes. Nec diu expectavi, omnibus quippe ad trutinam deductis, quid ipse sentiret statim perhumaniter rescripsit, nonnulla præterea mihi communicando de Lippo nostro addenda iis, quæ ego antea collegeram. Hujus itaque eminentissimi viri sententia hæc est pluribus firmata rationum momentis: Raphaelém scilicet Brandolinum *Junio* Lippum hac unice de causa dictum fuisse, ut ab Aurelio Lippo Germano natu majore distingueretur. Quamobrem opportune animadvertit Lippi cognomini vocem *Junior* constanter ad hære, utrumque vero Germanum hac appellatione *Lippus Florentinus* designari, propriis Aurelii, & Raphaelis nominibus omissis, illud autem vocabulum *Junior* desiderari, quotiescumque Raphaelis nomen appositum legitur, cum ita satis superque ab Aurelio distingueretur: quod tum ex Flamini, Seraphini, & aliorum, tum etiam Guarnæ ipsius testimoniis liquido constat. (17) Nec minora ea sunt argumenta, quibus negat binos Raphaelés Lippos oratores, & Poetas extemporaneos eodem tempore extitisse, simulque Toppium, & Tafurium redarguit, Florentinorum causam tutatus. At qui rem omnem cognoscere perfecte

(17) Hæc sunt a nobis edita inter illustrium Virorum de Raphaelé testimonia.

30 RAPH. BRANDOLINI VITA.
ste velit, legat ipfa Mazzuchelli verba, (18)
ex quibus pauca delibare contenti fuimus.
Hu-

(18) Ita rem hanc fcite, & laudabiliter ratiocinando Cl. Mazzuchellus resolvebat: Non si può veramente negare, che il nostro Raffaello cugino d'Aurelio non si trovi alcuna volta chiamato *Junior*, ma egli è altresì da offerire, come alla voce *Junior* sta unita quella di *Lippus*, e che sì l'uno, che l'altro venivano comunemente chiamati col solo vocabolo di *Lippus Florentinus*, e si ometteva il nome d'Aurelio per l'uno, e di Raffaello per l'altro. Volendosi pertanto l'uno distinguere dall'altro, noi crediamo che a quell'ultimo venisse dato il soprannome di *Junior*, il quale per altro veggiamo quasi sempre omeſso allorchè gli si trova aggiunto il nome di Raffaello, che abbastanza lo distingueva. Quindi è che Gianantonio Flaminio, e Serafino citati di sopra, perchè lo chiamano col nome di Raffaello, non usarono l'aggiunto di *Junior*, e nemmeno l'usò il Pontano, che pure lo disse unicamente *Lippus Florentinus*, perchè essendo Raffaello allora giovanetto non poteva da alcuno confondersi con Aurelio già di molto avanzato in età. Nè l'usò il Giraldi, che lo chiamò *Lippus Etruscus* perchè già distinto prima l'aveva da Aurelio. Che poi il Toppi, esattamente seguito dal Sig. Tafuri, chiami il Raffaello, di cui parla, *Napolitano, ma d'origine da Procida*, e nulla dica del grado distinto, a cui il Raffaello Fiorentino giunse in Roma, o di ciò che narra di questo il Giraldi, (*hæc cum iis, quæ sequuntur, erant nonnulla, quæ obiecti posse visa sunt*) non è al parer nostro da farcene gran maraviglia, cessar questa facendo i molti errori, e le infinite omissioni, di cui è ripiena l'opera del Toppi, la quale per altro, in grazia della malagevolezza di tal lavoro, merita la sua scusa, e la sua lode. Si fa che la Famiglia Brandolini si è diramata in molte famiglie fuori della Toscana, in Verona, in Venezia, in Friuli, in Regno di Napoli, ed altrove (*hic vero innuebat historiam Brandolinæ gentis a nobis supra cit.*) Il Toppi pertanto, a cui sarà stato noto trovarsi anche in Procida la famiglia Brandolini, rilevando essere stato in Napoli Raffaello, l'avrà creduto di quel Ramo, e gli avrà dato perciò luogo fra letterati Napolitani, omettendo di lui quelle notizie, se pur gli furono note, che includevano quella della vera sua patria; e senza punto dire, nè esaminare, se fossero due diversi Poeti, per istabilire, i quali farebbero d'uopo migliori prove, ed autorità, le quali certamente mancano. Nè che sieno due, prova punto

RAPH. BRANDOLINI VITA. 31
Hujuscemodi autem quæstionculæ non una fuit
utilitas: exinde in primis manifeste comper-
tum

il silenzio, ch'usa il Giraldi circa la pensione de' Cento Ducati assegnatigli in Napoli dal Re Carlo VIII. chiunque ha letto il Giraldi ben sa omettere questo scrittore infinite, ed importanti notizie intorno ai Poeti da lui nominati, de' quali si contenta per lo più di recar qualche succinta notizia, e il giudizio circa il merito delle loro Poesie. Che anzi il passo del Giraldi giova assai bene per farlo credere un solo autore; perciocchè qualora fossero stati due Raffaelli, ed amendue insigni nell'improvvisare, egli d'amendue avrebbe fatta menzione, e fatto com'è nel rammentare tutti i più chiari Poeti d'allora, che è l'argomento dell'opera di lui, e tanto più che veggiamo, aver egli creduto una particolarità *miraculi causa*, il trovarsi quasi a un tempo stesso due Lippi amendue Poeti estemporanei, cioè Aurelio, e Raffaello; onde molto più si farebbe egli fatte le strane maraviglie, se a un tempo stesso fossero stati tre, e tutti e tre gli avrebbe certamente nominati. Ma una ragione ancor più convincente ci somministra l'autorità del Pontano; si offervi, che il Pontano scriveva in Napoli, e che in quel suo Articolo *de cecitate* va esponendo esempi d'Uomini illustri, che con rara pazienza soffersero il difetto della vista. *Lippus Florentinus*, così si esprime, *puer vidit, nunc adolescens, quamquam utroque lumine captus* &c. qui si vuol dunque ricercare a chiunque volesse pur credere, che questo lippo di cui parla il Pontano, fosse diverso da quello di cui fa ricordanza il Toppi, come sia mai verisimile, che il Pontano recar volesse l'esempio d'un Fiorentino, e tacer volesse quello d'un Napolitano, che assai più di quello gli doveva essere noto? Adunque anche il passo del Pontano ci fa credere un solo Raffaello; ed ecco, che correggere si debbe il Toppi, che lo chiama *Napolitano*, perchè il Pontano lo dice Fiorentino; che anzi cancellar si deve quell'Articolo della *Biblioteca* del Toppi, perciocchè debbano essere esclusi i Fiorentini. Nè più giova l'asserzione del Toppi per istabilire, in grazia della supposta diversità della Patria, due Raffaelli. Ed ecco concluso essere un solo Raffaello Brandolini, Poeta estemporaneo, e di Patria Fiorentino. Che un solo sia infatti ce lo fa credere anche la strana combinazione che vi sarebbe stata a un tempo medesimo di due Raffaelli Brandolini, amendue chiarissimi Oratori, e Panegiristi, amendue Poeti estemporanei, e di moltissimo grido, amendue amati, e distinti da Principi, ed amena-
due

tim habemus, quare Raphael *Lippus Junior* nuncupatus fuerit; præterea, cum unicum tantum Raphaelem extitisse demonstratum sit, & Florentinum esse civem, quæ a Toppio, & Tafurio de eodem narrantur; in nostros usus, & ad Auctoris nostri vitam illustrandam rite, & recte transferuntur.

VII. His ita firmatis ad ejus modo gesta veniamus. A pueritia, licet gravi contracto in oculis morbo laboraret, non tamen lumine, ut nonnullis irrepsit, penitus caruit, sed illum vidisse cum adhuc puer esset Pontanus (19) testatur, & adolescentiam ingressum cæ-

due finalmente privi della vista, e soprannomati Lippi: circostanze tutte che insieme unite difficilmente si possono trovare in due soggetti benchè di diversa famiglia anche nel corso di molti secoli.

(19) Pontanus lib. II. de Fortitudine cap. VIII. de Cæcitate, & malis aliis corporis, ibi: *Lippus Florentinus, Puer vidit, nunc adolescens, & quamquam utroque oculo captus &c.* Pontano tamen videntur adversari Toppius, & Tafurius locis proxime indicandis, quorum primus Raphaelem vocat: *Cæco de natiuitate*, alter: *Cæco sin dalle fasce*, diplomate Caroli VIII. quod adducunt, unice innixi, in quo Raphael *cæcus a natiuitate* non semel appellatur. Sed Pontani gravissimi Scriptoris auctoritas cæteris meo quidem iudicio anteponenda est, qui Raphaelem usque ab ejus pueritia cognovit, ac tum maxime, quod eo in loco de Cæcitate accurate disputavit, ibique Raphaelem impense laudavit, quod licet cæcus ob contractum in oculis morbum effectus, tamen tam sedulo ejus studia prosequeretur: profecto si cæcus a natiuitate vere extitisset certe Pontanus ultro afferuisset, cum arrepta occasione eum impensius celebrandi (ibi namque eos maxime commendat, qui fortiter cæcitatatem contemserunt) ostendisset hæc omnia Raphaelem præstitisse non oculis temporis progressu orbatum, sed *cæcum a natiuitate*, quod majus certe est laudandi argumentum. De Diplomate vero Caroli VIII. quid dicam necesse est? cum experientia nos continuo doceat, illos, qui Diplomatibus exscribendis vacant, id unice curare, ut in scriptis redigant fideliter quæ a Principibus concessa sunt, qua levioris momenti negligent, aut parum curent. Quamobrem

cum penitus evasisse. Adolescens vero factus omnibus iis animi dotibus, ac virtutibus præditus extitit, quibus illa ætas ornari singulare admodum est: vitæ innocentia, atque elegantia, suavitate morum, bonarum literarum cupiditate incredibili, summaque etiam in adversis constantia: nam cum paupertate simul, & oculorum cæcitate premeretur, licet adolescens, quæ ætas minime apta est patientiæ, utrumque malum tanta æquitate ferebat, ut neutrum sentire videretur (20); immo (quod singulari admiratione dignum in eo fuit) inter gravissima hæc vitæ incommoda ea semper erat animi jucunditate, & sermone tam lepidus, & innoxie facetus, ut amicorum congressiones mirifice condire soleret, jocos semper habens in promptu multo urbanitatis asperfos sale. Quod vero ad ingenii studia attinet; in illa ætate, qua alii luxu, & voluptatibus disfluunt, in severioribus disciplinis omne tempus enixe impendendum curavit: hinc assidue Rhetorum auditoria frequentabat, Philosophorum lectionibus sedulo intererat, miro rerum antiquarum ducebatur studio, mira in primis latini sermonis cura: in hoc ejus omnes cogitationes dirigebantur, ut virtutem, quæ sola efficit beatos homines, assequeretur, cujus præceptis in dies

mobrem consentaneam est dicere, ibi Raphaelem *cæcum a natiuitate* dictum fuisse, eo quod valde puer cæcus evaserit, adeo ut cæcus a natiuitate revera habitus fuerit. Cæterum ipsummet *Lippi* vocabulum aperte videri indicare, minime cæcum a natiuitate extitisse: quid enim aliud est *Lippus* fieri, nisi marcorem in oculis contrahere, qui deinde in dies auctus omne sæpius aufert lumen oculorum? Itaque cum & Lippus simul, & cæcus Raphael dicatur, cæcum quoque ob lippitudinem evasisse sentiendum est: quod & ipsa Giraldi verba de transalpina, & cisalpina cæcis differentis, ubi recte perpendantur, ostendunt.

(20) *Pont.* lib. II. de Fortitudine cap. VIII.

dies magis institutus, atque informatus calamitates omnes æquissimo animo tollerabat, & quæ caduca sunt in terris bona negligebat. Præ cæteris Aurelium germanum pro virili parte sibi ad imitandum proposuerat, ejusque vestigiis inhærendi studio semper incubuit, quippe qui non in fortunis, vel in corporis venustate, sed in virtute, ac honestate felicitatem omnem esse ponendam existimavit (21). Quas ob animi virtutes adolescens illorum præstantium virorum numero à Pontano adscriptus occurrit; qui amplissimam sibi in ferenda fortiter cæcitate laudem sunt adepti (22).

VIII. Neapoli, Pontani Academia tum maxime celebri, per illud tempus degisse, ibique studiorum curriculum absolvisse ex cit. ejusdem Pontani loco non obscurè colligitur: non enim aliter fieri poterat; ut tam multa, ac tam distincte de adolescentulo nondum fama cognito prædicasset; & integram ejus studiorum, & vitæ instituti rationem reddidisset; nisi illum præ oculis Neapoli; ubi talia scribebat; habuisset. At si eruditus placebit Hermolai Barbari de Lippo nostro testimonium, res omnis jam in aperto erit: siquidem in Epist. ad Lippum Brandolinum data hæc habet.... *Sed ignosce; quæso, adolescens, atque adeo puer ea cœpi vertere, cum tunc Neapoli desidentem vidisti.* Porro ad inopiam redactam fuisse Brandolinam domum superius tempestive indicavimus (23): quare ob naufragium rei familiaris; & variam temporum conflictationem Raphaëlem; Aurelio germano duce, & comite; Patriam a tenebris annis reliquisse extra omnem videtur dubitationis aleam positum; cum sciamus, utrumque

(21) Præf. ad Libros de Compar. Reip. & Regni.

(22) Pont. loco supra cit.

(23) Recole quæ hac de re supra attulimus.

que veluti profugum ea præsertim in loca migrasse, in quibus externa ad levandam ægestatem subsidia inveniret.

IX. Cum ita adolescentiam laudabiliter peregisset; maximam de se ipso in omnium animos excitavit spem, fore ut magnus vir, atque excellens per brevi evaderet, cui sane expectationi temporis progressu cumulatissime satisfecit. Attigerat omnes fere scientiarum fontes in Historia vero, vitæ Magistra, plurimum profecerat, (24) cum ad Oratoriam, atque ad Poeticam facultatem se totum convertit ibique nervos omnes intendendos duxit, existimans sapientiam sine eloquentia thesaurum quidem, sed latentem in tenebris, atque in nullos usus abditum, si quod quisque cogitatione, & animo prius comprehenderit, explicare verbis apte nesciat, ad quas & natura, & arte institutus, utramque in morem adeo sibi familiarem induxit, ut quamcumque propositam materiam tam versu, quam soluta oratione ex tempore referre cœperit, ac inde Poeta, & Orator suorum, quidem temporum celeberrimus evaserit.

X. Peracto studiorum curriculo, cum in suburbana dicendi facultate magnam sibi gloriam paratam videret, Romam apud Aurelium germanum in illa quoque arte tum superantem omnes qui doctissimi habebantur, se se contulisse valde consentaneum est dicere, qua in urbe & uberiores laborum fructus, & amplior consequendæ laudis campus esse videbatur. Florebat tum Romæ summa sapientiæ opinione Aurelius, & plurimos magnæ auctoritatis

G 2 viros

24) Quantum esset Historiarum lectioni Lippus deditus, ex ejus scriptis quæ adhuc extant, apparet. In diploma vero Caroli VIII. dicitur usque ab anno MCDXCV. *exercitatus in arte Historica, Oratoria, & Poetica.*

Viros in sui admirationem attraxerat, a quibus inter carissimos receptus tum privatis, tum publicis benevolentiae testimoniis continuo ornabatur. Non est autem vero ab simile Raphaelem quoque nostrum in illorum gratiam fuisse receptum, & favoribus etiam, opibusque recreatum, cum & ipse coepisset eruditi hominis opinionem colligere, & aliqua proferre signa sapientiae suae.

XI. Interea Aurelius a gloriosissimo Pannoniorum Rege Matthia Corvino in Pannonia invitatus ab Italia excessit: (25) abeuntem Raphael fraterno amore extremo complectitur; solusque difficillima sane tempestate relictus est. Nam plurimi, maximique bellorum motus non levi cum Italiae damno subsequuti sunt, quorum omnium tam diligens observator fuit, ut singulos accurate postea descripserit: (26) & cum in tanta animorum commotione nihil novi praeter arumnas allatum videret, ita nihil memoratu dignum tentavit, contentus, credo, si Patronorum beneficiis adventantes calamitates a se repelleret. Donec vertente jam anno mcdxcv. ob Caroli VIII. Gallorum Regis in Italiam adventum memorando, insolito captus rerum novarum apparatu, occasionem hanc provehendae rei familiaris, aliquo edito virtutis testimonio, non esse contemnendam duxit. Itaque profectus Neapolim, & ad conspectum invictissimi Regis perductus, admirandam in ejus laudem orationem ex tempore recitavit, eandemque luculentissimis carminibus nulla intercedente haesitatione statim comprehendit tanta cum facilitate.

(25) Ex urbe Roma in Pannonia a Corvino se acitum fuisse Aurelius ipse testatur in Proemio ad Libros de Comparat. Reip. & Regni.

(26) In Dialogo a nobis edito: cumulatissime vero in Orat. ad Conc. Later.

cilitate, & copia, ut Rex ipse tam exquisitam ingenii vim, & doctrinam diutius tacite admistratus, in haec tandem verba proruperit *Magnus Orator, Summus Poeta*: (27) & ut hominem pro talibus ausis insigni aliquo beneficio prosequeretur, perpetuum centum argenteorum numerorum emolumentum, quos nostri vocant *ducati*, eidem illico decerni mandavit, ex Neapolis vestigalibus quot annis exigendum, cuius rei publicum extat diploma verbis amplissimis (28). Sed non multo post Carolus ab Italia magno a nostris impetu exactus est, cum Aragonii in avitum Regnum restituti, recentis injuriae memoria commoti, quae a Carolo VIII. in Neapolitano Regno constituta fuerant, tanquam ab infensissimo hoste prolata, infecta illico, ac profus deleta esse voluerunt. Quamobrem quidquid etiam in Raphaelis gratiam, atque in laborum suorum retributionem noviter ab eo Rege sancitum fuerat Aragoniorum jussu una cum reliquis fuisse sublatum nemini dubium videri debet; qui rerum, ac temporum adjuncta attente perpenderit. Atque ego sic existimo, inopinatum hunc adversantis fortunae ictum praecipue in causa fuisse, ut dereditu ad urbem cogitaret, eoque statim, apud veteres amicos, atque Patronos commoraturus in posterum, se conferret.

C 3

XII.

(27) Vide *Nicolaum Toppium* in sua *Bibl. Neap.* par. 11. pag. cclxvii. Et *Bernardinam Tafurium* *Hist. Scrip. Regni Neap.* Tom. II. par. 11. pag. ccclvi.

(28) Editum est a Toppio, & Tafurio locis cit. In hoc diplomate duo inter alia animadvertenda sunt, quae ad rem nostram faciunt primo Raphaelem dici jam variis fortunae casibus exagitatam, quod plane convenit cum his quae nos attulimus; deinde peculiarem ibi ejus studiorum rationem nobis patefieri, per illa verba: *Et duorum, qui eidem Raphaeli in studiis serviunt*: cum enim ob oculorum cacitatem non posset neque legere, neque scribere, adjuutores adhibebat, qui haec simul omnia eidem praestarent, ita naturae morbo arte, & industria consulens.

XII. Alius quoque casus longe omnium acerbissimus Raphaelis animum perculit; immaturus scilicet Aurelij germani interitus; qui post ejus a Pannonia in Italiam reditum, Sacerdos, & Augustiniani Ordinis Monachus factus Romæ diem clausit extremum: (29) cujus præstantissimi viri jacturam cum universo literatorum hominum cœtu justis quidem lacrymis deflevit.

XIII. Romæ vero commorantem, præter privata, de quibus jam diximus, etiam publica affligerunt incommoda. Nam *Alexandrinis tempestatibus* (30) (ita Alexandri VI. Pontificis tempora appellat) iterum ad urbem accesserat, ubi, nedum in universa Italia ob insanam Cæsaris Borgiæ dominandi cupiditatem nunquam fuit a calamitatibus, trepidationibus, ac periculis cessatum, quibus undique grassantibus nulla erat doctorum hominum, nulla literarum cura. Adde quod ob privatas cum Alexandro VI. P. M. simultates ab urbe recesserat Joannes Cardinalis Medices, in quem spem omnem unice Lippus collocaverat, summumque apud doctos homines, quos beneficiis, & opibus assidue

(29) Anno MCDXCVIII. Aurelium obiisse probavit *Gandolfus* in *Diff. Hist. de ducentis celeberr. August. Script.* & *Fr. Thomas Herrera* in *Alphabeto Augustiniano*: item *P. Aloysius Taurellus* in *suis Seculis August. demum Auctores Ephemerid. Italic.* Tom. XX. art. VII. omnes Mauriani Genacensis Eremitarum Generalis testimonio innixi decepti sunt qui sequuti *Bergomensem* crediderant anno MCDXCVIII. id contigisse.

(30) In *Orat. ad Concil. Later.* Patres his compellit verbis: *Recordamini, Patres, recordamini, quantum non dico incommodi, & detrimenti, sed calamitatis, atque miserie, quantum jactura universus terrarum orbis Alexandrinis tempestatibus accepit. An existimatis tam insperatas Regnorum mutationes, tam repentinas justorum expulsiones Dominarum, Urbium occupationes, Provinciarum direptiones sine pluribus calamitatibus, acerbissimis injuriis, diffidentissimis periculis unquam effugisse?*

due recreabat, reliquerat desiderium sui. Et quamquam mortuo Alexandro, suffectoque, post brevissimum Pii III. Pontificatum, Julio II. invictissimi animi Pontifice, ejus ab urbe recessus causa sublata esse videretur, tamen accesserunt aliæ graviores; nam quod antea conceptæ cum Alexandro VI. simultates effecerunt, idem Julii II. in Medicem Cardinalem benevolentia plane præstitit. Siquidem novus Pontifex pervulgatæ tanti viri sapientiæ, fidei, prudentiæ plurimum tribuens, illum in summis, gravissimisque negotiis fere semper adhibuit, in eo bello præsertim, quod omnibus periculosum contra Alphonsum Estensem, & Galliarum Regem tanta nuper cum alacritate susceperat, in quo Bononiæ, & Æmiliæ, totiusque fœderati exercitus Medices Legatus factus, publicisque muneribus implicitus, omnem jam penitus de ejus ad urbem reditu spem suis ademit (31). Neque tamen Raphael in tanta rerum desperatione unquam destitit absentem persequi animo, nihilque intentatum reliquit, ut ejus benevolentiam sibi omnimode compararet; quod plerumque egregiis dono oblatis literarum monumentis, quibus illum summopere delectari probe noverat, assequebatur. Erant tum Raphaeli præ manibus insignes quædam Aurelij germani lucubrationes de comparatione Reip. & Regni, quas morte præventus absolvere haudquaquam potuit. Has diligentî cura a se recognitas, & restitutas tanti Mœcenatis nomini elegantissimis literis inscripsit (32): quos ob honestos labores magno eidem adjumento Cardinalis Medices fuisse liberalitatem, quæ erga

C 4 do-

(31) De his omnibus fuse in *Dialogo*, atque in *notis ibi appositis*.

(32) Vide quæ ipse Raphael narrat in *Epistola* iidem *Liberis præfixa*, & a nobis edita ad calcem *Dialogi*.

sedos ad prodigium summa semper extitit,
equidem puto.

XIV. Aliam præterea industri solertia inje-
rat acquirendæ pecuniæ, alendæque vitæ ratio-
nem: nam ut partam habebat incredibilem
in omni scriptionum genere facilitatem, & ma-
gnam apud omnes singularis doctrinæ famam,
expostulantibus quas vellent lucubrationes assi-
due cudebat, orationes inter reliqua pene mul-
tas in ea materia, quam obtulisset casus; fre-
quentius vero aut de illustrium mortuorum re-
bus gestis, aut de sanctissimorum virorum vir-
tutibus (33) (quod orationum genus tunc ma-
gno Romæ in usu erat; (34) quodque ipse de
se loquens, (35) quotidianam laudationum exer-
citationem vocat) non scribebat modo, sed et-
iam publica, ut moris erat, pompa, requisitus
habere etiam consuevit pro quibus illi: *Non-
numquam gravis ære domum dextræ redibat.*
Iraque hac super re juniorem Beroaldum jo-
cari solitum tempestive meminit Sadoletus apud
Giraldum, dum assereret: *Lippum solere oratio-
nes habere venales, easque, ut ferebatur, pro li-
citantium pretio* (36).

XV. Denique illi neque animum, neque les-
ficax ingenium unquam defuit in principum
virorum gratiam opportune insinuandi se se,
quorum non paucos ita sibi obsequio devinxit,
ut iis semper fuerit acceptissimus. Tum vero
præter Cardinalem Joannem Medicem, de quo
factus est sermo, in fovendis auctoritate, &
opibus doctorum hominum rebus eximiis inter
se

(33) Hæc de se ipse testatus est in exordio Orat. ad Conc.
Later.

(34) *Aurelius Brandolinus* de ratione scribendi Lib. II.
Pag. cxviii. Edit. Romæ anno MDCCXXXV.

(35) In cit. Orat. ad Conc. Later.

(36) *Litius Giraldus* de Poetis suorum temporum Dial. x.
col. min. DXL.

se studiis dimicabant Alexander Cardinalis Far-
nesius, postea Paullus hujus nominis III. P.
M. (37) Dominicus Cardinalis Grimanius An-
tonii Venetorum Principis Filius (38), & Al-
bertus Pius Carporum Regulus (39), in quo-
rum ædes sapientum diversoria merito nuncu-
patis, cuiuscumque, qui insigni aliqua aut ar-
te, aut disciplina excelleret, veluti ad asylum
libere patebat aditus (37): ab iis Lippus in
clientelam receptus, ad intimam quoque litera-
ria consilia admittus est, plurimisque meritis
cumulatus: quibus in sui grati animi significa-
tionem posterorum digna munuscula literaria
dicari voluit, eorumque nomina suis scriptis
immortalitati commendavit.

XVI. Interim annus MDXIII. advenerat, quo
singulari D. O. M. beneficio Joannes Cardina-
lis Medices Julii II. Successor renunciarius ma-
xima cum omnium mortalium lætitia Petri so-
lium, assumpto Leonis X. nomine ascendit. Vix
ejus felicissimi Pontificatus effulsit alma lux,
cum

(37) Quam liberalis fuerit Alexander Farnesius literarum
Patronus ex innumeris, *Jo: Antonius Flaminius*, ac *Mar-
cus Antonius Filius* in suis lucubrationibus satis testati
sunt. Consulendus Mancurtius in Vita Marci Antonii
Flaminii, & *Petrus etiam Devarius* in Præf. ad Libros
Matthæi Devarii ejus Avunculi de Græcæ linguæ parti-
culis &c. Sed de hoc viro alibi sermo nobis erit.

(38) *Dominicus Grimanius Venetus Patritius*, vir doctrina,
& summa erga doctos liberalitate, quos beneficiis conti-
nuo fovebat, conspicuus, ab Alexandro VI. an. MCDXCIII.
Cardinalis creatus: de quo, præter omnes Vitarum Pon-
tificum & Cardinalium Scriptores, luculenta habes testi-
monia in pluribus *Jo: Antonii Flaminii* Epistolis lib. I.
& II.

(39) Neque his inferior censendus est *Albertus Pius*, de
quo plura infra in nostris notis ad Dialogum. Ejus erga
literatos munificentiam in cælum extollunt præcipue *Jo:
Maria Contavenus* in Præf. qua eidem Alberto Lexicon
Svidæ dicavit. *Jo: Antonius Flaminius* Epist. xviii. lib.
viii. & *Teiferus* in Elog. Vir. Illust. Tom. II. pag.
CDXLV.

cum sedatis illico bellorum motibus, quibus universa exagitabatur Italia, & recreari ipsa paullatim, simulque erigi post diuturnum silentium bonarum artium studia cœperunt. Dum enim Leo incredibili animi liberalitate jacentia præ inopia excitat ingenia, ac languentes desidia homines, & desperatione debilitatos dignis propositis præmiis fovet, & remuneratur, ædesque proprias nobilibus ingeniis continuo patere jubet; prostratæ jamdiu literæ, hoc veluti adminiculo fortiter adnixæ, vitium instar, quæ natura caducæ, ubi sultæ sint, e terra statim in altum evehuntur, ac divites quacumque ramorum opes expandunt, in tantam per brevi dignitatem, atque amplitudinem surrexerunt, ut una ea sit ætas, aut nulla alia præterea, quæ cum Augusti temporibus merito conferri jam possit.

XVII. Ex hac tam repentina rerum novarum facie Raphael, qui in illum usque diem adversantis fortunæ ictus continuo senserat, repente expergefactus, atque in maximam spem evectus, memor quanta in se antea extitisset novi Pontificis benevolentia, ad illum tute confugit, sperans, ejusdem munificentia fore, ut e tantis ærumnarum fructibus tandem aliquando sublevaretur: nec sefellit hominem opinio: aberrime siquidem ab humanissimo Pontifice consecutus est omnia, planeque parvo quidem temporis spatio in seipso expertus est id, quod alicubi Julius observavit (40), magnam scilicet in utramque partem, vel ad adversas, vel secundas ad res vim inesse fortunæ, quod clarius apparebit ex iis, quæ a me infra dicentur. In quanto tum adhuc versaretur domesticarum rerum in commodo, quantoque studio hac præsertim occasione curaverit, ut ii, quos

(40) Lib. II. Offic.

in

in Aula auctoritate, & gratia valere plurimum noverat; suas res commendatione, & officio promoverent, conjicere licet ex eo, quod Dominico Cardinali Grimano exposuit in quadam nuncupatoria Epistola (41), cum orationem a se tum nuper de perficienda Lateranensi Synodo elucubratam eidem inscriberet: ubi, postquam omnem ab ipso opem, auxiliumque implorayerat, ita ejus ipsius judicio suarum exercitationum genus per exigua animi tranquillitate, nec magno domesticarum rerum commodo, perpendendum reliquit, ut inde, quantum Christianæ Reip. si Principum beneficentia ipsi licuisset, fuisset lucubrationibus, atque vigiliis profuturus, possit verissime judicare. Quamobrem Grimantum, ob ingenuas animi virtutes Leonis X. a prime acceptum Lippo suo omni officio præsto fuisse non inficias ibo. Sed si hæc in conjectura posita sunt, satis certa sunt Leonis X. collata in Raphaellem beneficia: nam & illum in pontificalium ædium contubernium (quod est amplissimum benevolentia testimonium) statim exceptum tanto studio complexus est, ut nunquam a se dimiserit, sed in dies magis dilexerit, nihilque prætermisit, quod ad illius utilitatem, & commodum pertinere arbitraretur. Romanam tum nuper Academiam ab aliis pene neglectam instaurandam curaverat: quare & Professorum stipendia adauxerat, & nova ingeniorum lumina ad profitendas artes Romæ evocaverat; in quorum numero Raphael Lippus certe fuit, cum illum publico docendi negotio fere semper addictum, oratoriam facultatem, qua omnium peritissimus habebatur, Romæ profectum sciamus (42); quam sane provinciam aut Leo

X. ei-

(41) Eandem habes editam ad calcem Dialogi.

(42) Id præter Lilius Giraldum loco supra cit. Raphael ipse in Orat. ad Conc. Later. aperte testatur.

X. eidem Lippo demandavit, ut ego quidem existimo (43) aut in ipsa Academiæ instauratione tanto viro stipendia insigniter auxit; ut illius in docendo sedulitatem remuneraretur. Profecto hoc munere laboris plenissimo cum publice, cum etiam privatim assidue diligenterque functus est inter multiplicem auditorum coronam, qui ad illum confluebant, quosque de se loquens *frequens scholasticæ multitudinis theatrum* vocavit (44). Nec adolescentes modo sed illum eminentissimi etiam in literis viri sæpius prælegentem publice, & orantem audivere, inter quos Lilius, & Sadoletus (45).

XVIII. Post parta sibi a Leonis X. liberalitate hæc, quæ dixi commoda, ut aliquod perenne sui erga ipsum grati animi monumentum posteritati relinqueret, nihil temporum, ac personarum adjunctis consentaneum magis existimavit, quam gratulationis libellum de integerrima novi Pontificis creatione conscribere, in quo ejus virtutes & res præclare gestas commendaret, ac proprios lætitiæ affectus exprimeret: quod præfixis elegantissimis nuncu-

(43) P. Joseph Cavasa Clericus Regularis librum edidit de *Gymnasio Romano, & de ejus Professoribus ab Urbe condita usque ad hæc tempora*, unde non pauca ad Raphaelem nostrum spectantia hausurum me sperabam: at libro inspecto, nulla de eodem mentio occurrit; quem ego inter Romanæ Academiæ Professores collocandum esse contenderem. Fallar, necne, equidem nescio: certe *Lilius Giraldu*, & *Raphael* ipse locis supra cit. id videntur factis dilucide indicare: uterque enim verbis utitur ejusmodi, quæ, ubi recte perpenderit; per quam accommodata dices ad firmandam nostram sententiam.

(44) Cit. oratione ad Conc. Later.

(45) *Lilius Giraldu* loco sæpe citato ipse præterea Raphael in orat. ad Conc. Later. nos admonet, se in amplissimo Senatorum, hoc est Cardinalium Conventu, aliorumque insignium ordinum cœtu sæpius publice verba fecisse; quod illius existimationem maxime augere debet, cum munus hujusmodi nonnisi præstantibus omnium judicio Oratoribus demandaretur.

patoriis Epistolis tam diligenter, tam floride præstitit, ut inde facile appareat quantum eloquentia polleret. Publicum hoc, obsequentis, gratique animi spignus Leoni X. pluribus de causis fuisse acceptissimum arbitror, tum ob auream, qua libellus refertus est, eruditionem, tum maxime quod ea omnia fideliter perstrinxerat; quæ ea tempestate acta sunt. Exinde Raphaeli latissimus patuit campus in intimam Pontificis familiaritatem in dies magis insinuandi se se, & qui antea commendatione in aula maxime eguerat, alios tute, fidenterque commendare potis erat. Enim vero tanta apud Leonem X. tum auctoritate valuisse accepimus, tantaque illi devinctum extitisse charitate, ut *Pontificis oculus* appellari solitus fuerit (46), & cuicumque, qui cum amicum nactus fuerit, non gloriæ modo, sed & magno emolumento futurus crederetur, cujus quidem rei insigne aliquod exemplum ante oculos subjiciam ad confirmanda etiam reliqua, quæ modo a nobis dicta sunt.

XIX. Per idem tempus Joannes Antonius Flaminius vir tam bene de literariâ Rep. meritus, domesticæ augendæ gloriæ præcupidus, Marcum Antonium Flaminium unicum Filium, optimæ spei adolescentem e patrio nido ad Leonem X. cujus erga doctos liberalitatis fama undique percrebuerat, cum literariis munusculis Romam miserat (47). Pontifex adolescentuli eruditionem, ac summam ingenii vim admiratus, illum, præter patris expectationem

Ro-

(46) *Jo: Antonius Flaminius* Epist. viii. lib. v.

(47) Rem omnem ex ipsius *Jo: Antonii Flamini* Epistolis digestam vicissim narrant *Francoiscus Maria Mancurtius* in Vita M. Antonii Flamini, & *P. Dominicus Joseph Capponius* Ordinis Prædic. in Vita *Jo: Antonii Flamini* Patris: & quod mirum est, uterque de Raphaelæ, in cujus contubernium Flaminius concessit, ne verbum quidem.

Romæ retinere voluit, atque inter suos statim adscivit; ut autem nihil ad ejus institutionem, & optimæ gerendæ vitæ rationem deesse videretur, Lippum suum patris loco eligendum duxit, in cujus curam, & contubernium Flaminiū tradidit, & perspectæ viri diligentæ commendavit; a quo adolescens non ut clientis morè, sed ut vere filius est receptus. Neque his circumscripta limitibus Raphaelis pietas consistere passa est, quin, non ignorans paterni affectus quanti sint, pluribus verbis mandavit, Flaminiū pater pene in orbitate destitutus bono ut jam esset animo, omnia de se speraret, nec pauciora, nec minorā, quam a parente filio expectanda sint. Quo a Flaminio accepto nuncio mirum in modum gavisus est, omnemque hac una cogitatione conceptam ob Filii absentiam animo ægritudinem deposuit. Hinc inter duos hosce celebratissimos viros validissima mutuæ necessitudinis jacta sunt fundamenta: nam oblatam sibi Flaminio ad Lippum scribendi occasionem nactus eiusque amicitia in eundem studio incensus, ad illum literas dedit, amoris, atque observantia plenissimas (48), in quibus spectatæ integritatis, & singularis sapientia virum magnis laudibus extollit, & Summi propterea *Pontificis oculum* appellat, petitque enixe, ut & auctoritate, & gratia, quibus plurimum eum pollere asseveranter affirmat; proprias apud Leonem X. literas adjuvet, & efficiat gratiores. Omitto quæ uberrime de eodem Lippo complexus est in literis Leoni X. & filio datis (49), existimans nihil tam honorificum, nullum singularis Leonis X. humanitatis præclarius indicium

(48) Epist. xvii. & xviii. lib. v.

(49) Epist. II. lib. II. ad Leonem X. & Epist. xi. lib. v. ad M. Antonium Filium.

cium extitisse, quam quod ipsum adolescentem statim; ac diligentissime quidem Lippo suo Oratori summo commendavit; quibus item verbis filio mandaverit, ut nactus tantum virum ita coleret, ita veneraretur, atque observaret, ut non quemadmodum cliens Patronum, sed, ut uno omnia complecteretur verbo, sicut amatissimus Filius Genitorem optimum, ut illius amore, benevolentia, immo pietate favore, ac pollicitationibus quam maxime dignus inveniretur.

XX. Ex his facile intelligitur, quanto in pretio esset apud omnes; quantamque sibi apud Pontificem gratiam peperisset. Erant equidem in Raphaelē nostro plura, quæ ipsum Leoni X. summopere commendabant; eadem in primis nationis, ac Patriæ jura; non dissimilia animi, atque ingenii studia (50), vitæ innocentia summa virtus, & extemporales tam versu, quam soluta oratione dicendi facultas; ex qua Pontifex capiebat voluptatem supra quam dici possit maximam, in convivii potissimum, namque ad mensam accumbere sere nunquam visus est, nisi illustriorum Poetarum corona circumseptus, quos subitariis carminibus quamlibet rem propositam vicissim persequi jubebat, quo honestissimi solatii genere & ipse mirum, inquam; in modum afficiebatur (51), & convivarum pascebat animos exemplo Attici, apud quem nunquam sine aliqua lectione cenatum legimus, ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur (52). Horum Poetarum numero Lippus, ut erat in Pontificiis ædibus con-

(50) Hæc de se ipse Raphael testatur in Epist. ad Cardinalem Alexandrum Farnesium præfixa Dialogo a nobis edito.

(51) *Jov.* in Elog. Vir. Liter. Illust. cap. lxxxii.

(52) *Cornelius Nepos* in Vita T. Pomponii Attici.

contubernalis, & Musis amicissimus, sæpe cum laude intertuit, & quantum esset in fundendis verbis promptus, ostendit. Verumtamen contigisse memoriæ proditum est, ut in ea collatione, quæ ingeniorum viribus committeretur, semel succubueris. Ita vero acta res est. Celebrabatur magnificentissimo apparatu Medicorum Cosmiana solemnitas, quam in Magnæ Cosmi Proavi memoriâ Leo X. quotannis celebrandam statuerat (53). Itaque ad illius celebritatis diem honestam plurimi fama celebriores Poetæ convivio intererant, qui proposita de more argumenta referebant ex tempore: verum cum Andreas quidam Maro magni, promptique vir ingenii omnes quasi elingues fecisset, cum Lippo nostro congregi a Pontifice est iussus; & cum valide utrimque certatum esset, Lippum tandem victum cessisse ferunt (54). Nec, si verum rebus pretium ponimus, improbandus est is, qui in tam incerta dicendi laude, post plura alibi edita paratissimi ingenii testimonia, aliquando mentē consistat. Cæterum, ut quod ipse sentio fatear ingenue, Aurelii Brandolini omnium ex tempore differentium suæ ætatis facile Principis satis laudare hæc in re consilium non possum, qui hanc tandem sive scientiæ, sive ingenii laudem Græcis, qui eam expetivere, seque in ea magno opere exercuere adeo concedendam putar, ut nos interea diligentia, & excogitationis laude contenti simus (55).

XXI. Quamvis, ut ad Lippum revertamur, ita ejus studiorum rationem prudenter instituerat,

(53) De hac Cosmiana solemnitate præ reliquis meminît Raphael noster in Præf. orationis ab ipso hac occasione elucubrata, de qua infra.

(54) Lilius Giraldus Dial. sæpe cit.

(55) Aurelius Brandolinus in Dialogo de humanæ Vitæ conditione, & tolleranda corporis ægritudine.

rat, ut non in ea ingenii laude totus esset, cum ad cogitandum conversus egregia literaria monumenta continuo soleret mandare literis, quibus solidiorem sibi apud omnes comparabat laudem. Et quoniam de Cosmiana solemnitate incidit sermo, eandem ipsam, præter extemporalia, quæ supra memoravi, carmina, alio quoque, ac serio quidem excogitato celebravit elucubrationis genere: etenim orationem (56) numeris omnibus absolutam de Divorum Cosmi, & Damiani Martyrum constantia, deque Magni item Cosmi Medices virtute, sapientia, ac rebus tum domi, tum foris prudenter gestis, autumnalibus, ut ait, noctibus concinnavit, atque in ipso celebritatis die eleganti præfixa dedicatione Leoni X. a quo melioribus quotidie commodis, amplioribusque beneficiis erigi, illustrarique se videbat, obtulit. Sed alia sane multa, ut ea etiam omittam, de quibus memoria durat apud nos, sedulo scripsit, quorum magna pars, aut injuria temporum intercidit, aut tenebrarum caligine adhuc circumducta expectant lucem: quidquid enim ei ex privato, publicoque docendi negotio dabatur otii scriptioni totum tribuebat, in qua noctes sæpe terebat infomnis (57): quare dies aliis instituendis, noctes sibi impendebat. Et quamvis esset illi in promendo quæ vellet mira facilitas, atque elegantia, emendationi tamen, quam cum Quintiliano *partem studiorum utilissimam* (58) esse intelligebat, plurimum tribuit, nec unquam passus est, lucubrationes suas nonnisi summo studio castigatas, vulgari in manus hominum, atque ad suorum

D. Moe-

(56) Edita a nobis est ad calcem hujus Libri.

(57) Vide Epistolam nuncup. ad Dominicum Cardinalem Gtimanum præfixam Orationi ad Conc. Later.

(58) De Instit. Orat. lib. x.

Mœcenatum conspectum adferri (59). Quamobrem fiebat, ut quodcumque ab ejus, ut ita loquar, officina tam industrie elaboratum fuerens prodiret, ejus non solum amici perlegerent diligenter, & mirifice celebrarent, (60) sed principes etiam, viri, & in summis dignitatibus constituti precibus sæpe interpositis enixe expeterent (61). Nec reticendus est Leo X. qui Lippi nostri scripta tanti semper fecit, ut singula & libenter accipere, & diligenter perlegere soletet (62). Non defuit qui tunc temporis (63) nonnullas ejusdem Raphaelis epistolas in quadam Ægidii Viterbiensis urna, quo cum mutua officiorum communicatio intercedebat, inventas una cum aliis clarissimorum virorum pluribus in unum colligendas corpus curaverit, ac novo quodam pulcro libello ipsius Ægidii Epistolis summa orthographiæ arte inseruerit, quemdam amicam enixe rogans, ut ejusdem generis epistolas transmitteret quascumque, quas se eo contexturum ordine pollicitus est, ut e rosis, atque liliis fertam prope divinam composuisse videretur.

XXII. Sed si cætera deessent ad testandum, quanta fuerit Eruditorum illius ætatis de Raphaelis opinio, & quantum ejus in re literaria valeret auctoritas, unum Guarnæ (64) Sa-

ler-

(59) Hujus rei luculentum habes exemplum in Orat. ad Conc. Later. quæ cum esset liturarum plena, a Lippo diligenter restituta, atque emendata est, ut Cardinali Grimano Mœcenati suo dicaret.

(60) *Lilius Giraldus* loco pluries cit.

(61) Recole quæ narrantur in Præf. ad Conc. Later.

(62) Id ipsum Lippus memorat in Epist. ad Leonem X. præfixa Orationi de Laudibus Cosmi Medici &c.

(63) *Seraphinus* scilicet *Eremita*, ad quem plures extant Ægidii Epistolæ familiaritatis plenissimæ editæ in Tom. III. Veterum Monumentorum Martene, & Durand; ejus de Raphaelis testimonium afferam suo loco.

(64) De hoc Guarna a Salerno, a quo ejus Familia originem

lernitani Cremonensis tam emunctæ hæris viri testimonium sufficeret, qui in suo libro *Bellum Grammaticale* inscripto, ad fictam illam cum Verborum, ac Nominum Procæribus controversiam componendam, inter tot Grammaticæ usuum, regularum, & terminorum peritos (hæc enim erant ea, de quibus Nominum, ac Verborum cohortes tam acriter inter se dimicantes induxit) Raphaelen unum cum duobus aliis eruditissimis viris omnium consensu fuisse electum narrat, quasi præter ipsum, ac duos item alios cui ob pervulgatam doctrinam tantum onus committeret, haberet neminem; Grandem re ipsa difficultatem facundus, ventustique vir ingenii fuisse ait, & maximam inter partes contentionem, quibusnam id munus potissimum demandaretur, multis eam provinciam ambientibus, aliis alios nominantibus, & nominatos aliis improbantibus; denique Prisciano, Servio, Donatoque approbantibus in infrascriptos conctos unanimiter consensisse affirmat; Phædrum scilicet Volaterranum (65) Canonicum Basilicæ Apostolorum

D 2

Prin-

nem ducit, quasi hæreditaria jure *Salernitano* nominato meminit *Arisus* in sua Cremona Liter. Tom. II. pag. xxxix. Vir certe est plurimi facientus, & amoenissimi profusus ingenii: Auctor etiam cujusdam festivi, mordacisque Dialogi *Scimia nunciupati*, de quo alibi mentio occurreret Titulus ejus operis de Bello Grammaticali ita habet: *Grammaticale Bellum Nominis, & Verbi Regum de Principaliitate Orationis inter se contententium*. . . . editum a Rever. D. *Adryæ Salernitano Patria Cremonensi*. Hoc autem opus, antea rarissimum denique excudi curavit *Desiderius Arisus* Cremonæ anno MDCXCV. At insigniter erravit, dum asseruit primam ejusdem operis editionem factam fuisse Venetiis anno MDXXXVII. per Petrum Nicolinum de Sabio opæ Melchioris Sessæ; siquidem illum ipsum inveni impressum *Parmæ per Franciscum Ugoletum, & Octavianum Saladum* anno MDXV. die xxi. Januarii in forma octava. Quod adnotate operæ pretium mihi visum est; favo enim quantum possum rebus Patriæ.

(65) *Thomæ Phædrus Volaterranus* ita dictus ex persona Phæ-

Principis singularis eloquentiæ Virum, & ex
tremam omnem ingenii aleam positum, Petrum
scilicet Marsium (66) Laurentium in Damaso Ca-
nonicum eruditissimum, ac Raphaelem Lip-
piana Florentinum Oratorem insignem, cui una
cum reliquis perpetuam censuram datam di-
cit, Grammaticulos omnes Grammaticæ cor-
ruptores, semilatinosque, & semigræculos tan-
quam naturæ inonstra inquirendi, puniendi,
relegandi, omneque id faciendi, quod bona-
rum literarum cultum, augmentumque con-
cernere animadverterit.

XXIII. Haud exiguum ad præclaras Raphaelis
laudes a Guarna celebratas momentum ad-
dit perfecta Græcæ linguæ cognitio, quam cum

La¹

Phædri, quam repræsentavit in Senecæ Tragedia, cui ti-
tulus *Hippolitus*, habitus est sui seculi Cicero, teste Eras-
mo Epist. V. lib. xxiii. *Petrus Valerianus* de Infelic. Li-
ter. lib. I. illum *assuentissimum Eloquentiæ Fumen*, quo
non alius eo tempore orando clarior, neque vehementior, &
Romanæ Cathedræ decus, & ornamentum appellavit: idem
Petrus Epist. III. lib. IV. In Romana Academia
Eloquentiæ Professor fuit. *Janus Parrhasius* in Orat. an-
te Prælectionem Epistolarum Cic. ad Atticum illum de-
fundum maxime desit; inter alia... *Quis est*, inquit,
*in hac excelsissima Academia, quæ Phædro, Rhetori cæ-
lum vestis constringebat, qui ad extincti Phædri nomen
uberitiam non flect? ... ubi illa incorrupti latini sermonis
integritas?* &c. deinde ejusdem opera inedita omnia re-
centet. Sed novum, & luculentum de hoc Viro nobis
suppetit testimonium Guarna noster, superioribus reipia
quam simillimum.

(66) *Petrus Marsus*, Cestæ oppido in agro Romano oriun-
dus, ideo *Marsus* dictus quia in eo solo genitus est, quod
antiqui Marsi incolerent. Fuit Pomponii Latini discipu-
lus; vir certe doctrina, & ingenii acumine in interpre-
tandis veterum Scriptis suæ ætatis nulli secundus, edi-
tisque libris clarus. Confecit notas in Silium Italicum,
in Terentium, item commentaria in Libros Ciceronis de
Natura Deorum, de Officiis, de Amicitia, de Senectute,
& Paradoxorum. Hunc maxime pro meritis celebrant
Leander Alberti in Descrip. Italiæ: *Erasmus* Epist. V. lib.
xxiii. *Brutius* in Statium Tom. III. ad vers. DCCCXXVII,
lib. VI. Thebaid. & *Bellius* in suo Dict. Hist. Crit. vet-
to *Marsus*.

Latina feliciter cum conjunxisse (est de facti-
to Viro in illa præsertim ætate secus opinari
difficilis esset hominis, ac refractarii) hic di-
lucide evincitur; non enim fieri unquam pot-
erat, ut Censor publico judicio constitutus in
Græculos illos animadverteret, nisi optime ipse
primus calluisset Græca lingua.

XXIV. Eminuit etiam in homine multiplex
eruditio, ex profanæ, sacræque Historiæ, Ora-
torum, & Poetarum omnium lectione multa,
& idonea sibi comparata, qua ejus passim scri-
pta referta sunt. Cum se totum ad Latino-
rum imitationem contulisset, stilum ex eis de-
libatum Auctoribus sibi peculiarem efformavit,
in quo disertis, promptique ingenii in primis
admireris felicissimam ubertatem, ita tamen,
ut, quod Cicero ait, rerum copia verborum
copiam gignat (67): Ab illorum vestigiis re-
cessit, qui non nisi ad unius auctoris, puta Ci-
ceronis, imitationem singula verba fervilem in-
modum effingunt, iisque adhæsit, qui optimos
quosque Scriptores, Ciceronem, Livium, Cæ-
sarem, Svetonium, Nepotem, Quintilianum,
Plinius promiscue imitandos sibi proponunt,
& quidquid in singulis optimum animadver-
tunt, id circumsperto judicio in sua scripta
transferunt; quod imitandi, scribendique ge-
nus plures magni nominis viri sequi malue-
runt, inter quos ipse elegantiarum parens Po-
litianus, ut erudite Menckenius in ejus Vita
non sine laudè commemorat. Mirandum pro-
pterea minime est, si ejusdem Guarnæ judicio
Raphael una cum præstantissimis viris Phædro
Volaterrano, & Petro Marso, quos litium ar-
bitros electos fuisse supramemoravimus, obso-
leta, ac prostrata latini sermonis elegantia
restitutur, atque instaurator constituitur, ac
Romanæ veluti parens linguæ censeatur, quod

D 3

illata

(67) Lib. III. de Orat.

illam temporum, ut ipse Guarna inquit, licentia, & Grammaticorum quorundam petulantia pluribus modis inquinatam in suum nitorem, dignitatemque restituit: quod nisi singulari solertia cum duobus aliis præstitisset, tantam futuram fuisse tum latinæ linguæ immistam barbariem, citatus auctor sentit, ut de illius decore, elegantiaque fere desperatum foret (69).

XXV. Tam vero id nunc mihi contigisse videtur, quod solet aliquando ambulantis noctu cum quadam face, qui hac de improvise extincta, despondent animis, atque consistunt; quum enim ea ipsa testimonia, documentaque, ex quibus hunc commentariolum digessimus, me penitus veluti in medio curriculo defecerint, nec quidquam, præter supra memorata, nobis de tanto viro innotescant, quod aut ad ejus vitæ reliquum, aut interitum pertineret, hic mihi necessario statuenda meta est, quippe qui puto silentium magis esse laudabile, quam fictitias fabellas impudentissime commentari. Pauca tamen addam, si libet, de Raphaelis indole, quantum ex gravissimorum scriptorum auctoritatibus, sed in primis quantum ex ejus ipsius scriptis conjicere licuit, in quibus sæpissime veluti in quodam speculo interni animi affectus elucent. Fuit Raphael vere Christianis moribus a prime imbutus, integritate vitæ innocentia, pietate cum raris comparandus, & eorum quæ ad religionem spectant studiosissimus. Neque hoc loco prætereundum puto, fuisse quoque sacris initiatum, ut in Orat. ad Conc. Later. de se ipse testatur. Vixit vita sapientum in studiis, & veri contemplatione assidue versatus. Rarus illi iudicii candor, nemini longior aberat fucus: de rebus omnibus, quæ in disceptationem caderent, venuste, eleganterque discessit.

(68) Pag. CXCIV. Nota F.

(69) Citi. opere de Bello Grammaticall.

serbat, cum adversis, tum secundis in rebus semper idem, illud tamen unice curavit, ut Principum virorum munificentia aliquando miserias paupertatis effugeret: In eo, fortunæ fastigio a Leone X. collocatus omnibus jucundus, omnibus gratus extitit, & quibus potuit magno semper honori, & adjumento fuit, cordati viri officium existimans si, cum posset, ultro beneficium præstaret: ipse immortalis memoria beneficia retinuit, ac suorum Mœcenatum liberalitatem, & cæteras animi virtutes, quam diligentissime celebravit. Aulicis hominibus, & iis præsertim qui publicis muneribus vacarent, semper infensus; vitiorum vero, ac scelerum, quibus Roma erat inquinata ante gravissimam Leonis X. censuram e Concilio promulgatam, objugator acerrimus; quorum multitudine vir Christianus valde commotus nullam in insectando personarum, & dignitatum habuit rationem: sed ut plerumque fit, quemadmodum qui erant in ampliori loco positi, majoribus etiam vitiis obruebantur, ita in eisdem ardentius, & liberius summa facundiæ vi est sæpissime invehus, ut venuste diceres, hunc Solonis exemplo, qui Pisistrato Tyranno audacter *ob senectutem* resisteret, (70) animosiores in reprehendendo factum, *oculorum CÆCITATE*, quam quidem cum paupertate, & fortunæ calamitate conjunctam, ac tot virtutum præsidio munitam immortale illi nomen attulisse jure dicendum est, ac plane cum Aurelio (71) ejus germano vel hoc uno proposito exemplo profitendum ingenue; nonnullis vel paupertatem, vel cæcitatem, vel aliam corporis, fortunæque calamitatem laudem & gloriam non mediocrem attulisse, illustrioresque eos incommoda reddidisse, quam ulla reddere unquam commoda potuissent.

D. 4

DE

(70) Citi. de Senec. sec. IV.

(71) De Ratione scribendi cap. 33.

DE RAPHAELIS BRANDOLINI SCRIPTIS.

Quæ adhuc extare nobis compertum est Raphaelis nostri opera anecdota sunt omnia, nec eorum quidquam, quæ assiduus scripsit, & multus ipse, aut alius quisquam in posterum typis vulgavit. Itaque nunc faciendum est mihi, ut postquam ejus gesta, quo ad fieri licuit, sedulo recensuimus, accuratum modo ejusdem operum Catalogum in medium proferam, quæ in celebrioribus Bibliothecis sunt adinventæ. Sed maximas prius ego gratias publice referre debeo optimæ spei adolescenti Josepho Cavallini Physico Civi Brixienti, Florentiæ modo studiorum causa degenti, quem superioribus hisce annis in Regia Ticinensi academia mutuus mihi amor, & necessitas conjunxit supra quam dici possit maxima, cujus singulari diligentia Raphaelis lucubrationum series quæ in Mediceo-Laurentiana adservantur, mihi statim allata est una cum duabus ejusdem auctoris nuncupatoriis Epistolis; quas veluti quoddam specimen eorum operum, quibus præfixæ sunt, edendas curavi.

Hæc igitur in Mediceo-Laurentiana, referente Cl. Biscionio ejusdem celeberrimæ Bibliothecæ Præfeto suis quæque locis notantur.

I. Puteo lxxvii. Cod. ii. Opus Aurelii Brandolini Lippi Raphaelis Germani *de Comparatione Reip. & Regni*, quod Matthiæ Corvini Pannoniorum Regis hortatu inchoatum, interveniente ejusdem Regis morte, cum Florentiæ absolvisset, ad Præstantissimum Virum Laurentium Medicem dirigendum statuerat, sed utrumque immatura mors sustulit; idem postea Raphael evolvens castigavit, ac Leoni X. nuncupavit adhuc Cardinali. Quod sane opus, etsi a Raphaelæ non fuerit elucubratum, cum

cum tamen ab eodem sit recognitum, & emendatum, novaque dedicatione insignitum, hic ideo inter ejus opera placuit adferre. Codex membr. eleganti, & satis amplo charactere conscriptus est in forma quarta: inter varia auro, minioque contexta ornamenta visitur amplissimi Cardinalis Joannis Medici effigies. Tirulus ita habet: *Lippi Brandolini de comparatione Reip. & Regni ad præstantissimum Laurentium Medicem Florentinæ Reip. Principem Liber primus: in quo Matthias Pannoniorum Rex, Joannes Filius, & Dominicus Junius Eques Florentinus loquentes introducuntur.* Intra prioris literæ ambitum Aurelii effigies expressa est: ita vero ejus mentem patefacit in Proemio: *Ego quum essem ex optima, & florentissima Rep. oriundus, & apud Matthiam præstantissimum Pannoniorum Regem, a quo ex urbe Roma accitus fueram, hyeme proxima commorarer, velletque animus, qui nihil agere non potest, aliquo se opere exercere, rem neque illi Principi injucundam, neque meis Civibus ingratham me facturum existimavi, si de utriusque Principatus comparatione perscriberem, rationesque omnes, quibus uterque se defendere consuevit, in medium asserrem, & utriusque mores, atque instituta explicarem.*

II. Pluteo xlvi. Cod. ii. Raphaelis Brandolini Junioris Lippi Oratio de Laudibus Cosmi Medici ad Leonem X. Pont. Max. & Patres (72) in Divorum Cosmi, & Damiani Martyrum celebritate habita v. Kal. Octobris mdxv. cum Epistola nuncupatoria ad ipsum Leonem X. quam ad calcem impressam habes. Codex Membr. est egregie scriptus in forma octava, atramento rubro, variisque pigmentis coloratus, inter quæ conspiciuntur Medicea, & Leonis X. Pont. Max. Insignia. Oratio incipit: *Quum bodier-*
nam

(72) *Monfauc.* Bibliot. Biblioth. Mss. Tom. I. exhibens Ti-

nam celebritatem, quatenus abs te omnibus officiis, ac studiis diuissime obseruatam mecum ipse perpendo, Beatissime Pater, singularem in te sapientiam, veramque pietatem nunquam admirari satis possum, qui dum clarissimam tuæ Domus originem repetis, dum jucundissimam ejus memoriam recolis, dum nobilissimas Majorum tuorum imagines spectandas, imitandasque proponis, ad recte, pieque vivendum commissum uni tibi Christianum gregem excitas, atque inflammas &c. Ita vero desinit: Unde fiet, ut hodiernæ lucis celebritas, inaudita Cosmi, & Damiani celsitudine constituta, clarissima Domus Medicæ sobole ad posteros propagata, nulla temporum vetustate deleri, nulla hominum injuria labefactari, nulla humanarum rerum caligine vel possit, vel debeat obscurari. Dixi. Hæc in Mediceo-Laurentiana.

III. In Ambrosiana vero Mediolanensi extat Oratio, cui titulus: *Raphælis Brandolini Lippi Junioris Oratio ad Lateranense Concilium excogitata* (73) notatur ibi hoc pacto: F. 104. ¶. Cum hanc a Monfauconio innui animadvertissem, statim conversus sum ad Cl. Saxium insignis Mediolanensis hujus Bibliothecæ Præfectum (cujus tam importunum interitum universa Literarum Resp. miserabili adeo conquesta est luctu) ad quem ut veni, complexus me senex: immo, inquit, mi adolescens, ipsemet quidquid libet, inquiram, & dabo libenter, sed vereor, ne omnis frustra hic noster suscipia-

Titulum hujus orationis habet... *Ad Leonem X. Pont. Max. & Patris Patri*, Biscionius in rebus hujusmodi accuratissimus reperit: *Ad Leonem P. M. & Patres*, quod mihi penitus arridet; non enim video, quid sibi hoc loco velit illud *Patri Patri*: potius cum de Divorum Cosmi, & Damiani Martyrum constantia præcipue ageretur, credendum est, Lippum orationem hanc habuisse *Leonem X. & Patribus* simul adstantibus, atque ita Titulus intelligendus est.

(73) *Monfauc. Bibl. Biblioth. Mss. Tom. I. pag. DXXIII.*

piatur labor, nimirum alia pene multa a Monfauconio in Ambrosiana Mediolanensi adnotata sedulo inquirenti nunquam sunt adinventæ: non desistit tamen perferutari, donec Codicem in parvo quodam indice fortuna quadam, ut aiebat, signatum detegeret, quem summa mihi cum voluptatis significatione pro libito examinandum tradidit. Codex membr. est, ferico rubei coloris integumento coopertus, in forma octava, & nitidissimo caractere exaratus, sed minuto, nostri appellant *corfvo*, tanta arte, & industria, ut Aldinis typis excusum videatur, Dominico Grimano Episcopo Portuensi S.R.E. Cardinali S. Marci inscribitur, ut Epistola ad eundem data, edita cum reliquis ad calcem hujus libri declarat. In hæc verba Oratio exorditur. *Si quis unquam maxima omnium de se admiratione, gravissimoque famæ periculo ullum dicendi munus suscepit, Leo X. Pont. Max. Vosque Patres virtute, doctrina probatissimi, hodiernum ego magni hujus celeberrimi Conventus stupore, nec minimo dignitatis meæ, ac salutis discrimine mihi videor suscepisse: tum ob multiplicem Personarum Majestatem, amplitudinem, virtutem, & sapientiam, tum vero propter ipsius rei difficultatem magnitudinem, excellentiam, ac splendorem. Neque enim nunc, ut sepe antea consuevi, in frequenti scholasticæ multitudinis Theatro, in gravissimo aliquo unius, aut ad summum alterius ordinis Cœtu, in amplissimo Senatorum consessu, vel de uberrima doctrinarum fruge, vel de sanctissimi*

Titulum hujus Orationis mutilum refert, illud enim *excogitata* non habet; quare facile crediderunt nonnulli, eandem re ipsa fuisse in Lateranensi Concilio a Lippo habitam. Sed præterquam quod multa sunt, quæ contrarium suadent, sive tu Raphælis personam sacris tantum initiatam, sive loci dignitatem spectes, sive aculeos, quibus oratio referta est, consideres; Titulus ipse, qualis in Codice Mediolanensi legitur, nos admonet, orationem hanc privato tantum studio fuisse elucubratam, non vero publice in Concilio habitam.

alicujus viri integritate, ac sanctimonia, vel de multi juga mortui cujusquam nobilitate, de singulari virtute, de maximis rebus & domi, & foris prudenter, ac strenue administratis, sed in angustissimo Christiani Orbis Concilio, in frequentissimo cujusquam mortalium generis conventu de Christianæ totius Reip. salute, de libertate, dignitate, tranquillitate verba facturus accedo: quibus quidem rebus, atque personis non usitata umbratilis discipline facultas, non quotidiana laudationum exercitatio, non vana imperitæ multitudinis opinio, sed exacta doctrinarum omnium peritia, consummata publicarum rerum industria, confirmata est clarissimorum hominum judiciis, & honorum, ac dignitatum titulis, & præstantissimarum actionum periculis auctoritas exigitur &c. Post plura ad ipsas orationis partes accedit, quas ita digere: Ad ea quæ vobis breviter, ac vere exposui confirmanda, de gravissimis primo incommodis, ac detrimentis ob Synodi negligentiam contractis. II. de pluribus mox commodis, & ornamentis, instaurata tanta rei memoria Christiano & nomini, & imperio restituti: III. de necessaria postremo ejus observatione videtur accuratissime differendum: Quas omnes partes dum multifaria profanæ, sacræque Historiæ, & Conciliorum omnium eruditione summa certe facundia probat, atque confirmat, in depravatos hominum mores, & Romanæ Curiæ præsertim atque Aulicorum vitia, quæ hoc uno Synodi remedio castiganda, ac penitus tollenda esse inculcat, tanto impetu passim invehitur, ut etsi premedas Orationis nonnullis fortasse invisæ sibi habendas fateatur, tamen . . . Frustra retinacula tendens Ferturequis auriga, neque audit currus habenas. Tandem ad Patres conversus ita dicendi finem imponit: Ea presentibus instituta, ea posteris testimonia præbete, ut divinitus indicta Synodus, maximam tibi Leo P. M. atque pulcher-

rimam laudem, summam tuæ senatui auctoritatem, certissimam vobis omnibus qui huic hodierno muneri vestris animis, atque corporibus adestis, tranquillitatem, & perennem illam humano generi maximopere expetitam ac exoptatam Pacem, & Concordiam largiatur. Quod si vestris consiliis, sententiisque succedet, uberrimos vestrorum consiliorum, vestrarum sententiarum, egoque mearum lucubrationum, atque vigiliarum, quas ut homo, ut Christianus, ut sacris initiatus, ut non pessime institutus, ne hominibus Christianis, Sacerdotibus, optimeque informatis, ac eruditis quo possem auxilio deessem, sedulo, libenterque suscepi, fructus percipiam. Dixi.

IV. Occurrit modo Dialogus Leo nuncupatus, qui mea qualis qualis sit cura in lucem prodit (74) Codex, ut reliqui, membr. nitido caractere, & satis amplo conscriptus in forma octava, pigmentis auro, & minio affabre ornatus. In prima pagella apparet Epistola ad Alexandrum Farnesium Diaconum Cardinalem, ubi Farnesiæ Gentis insignia conspiciuntur. Postmodum sequitur Epistola ad ipsum Leonem X. data: ibi visitur Mediceorum gentilitium Stemma Pontificiis clavibus in crucem dispositis, & Regno decoratum, quæ omnia Codicem spectandum satis efficiunt, & cum reliquis merito æquiparandum. Cum in eo varia, quæ ad orthographiam attinent irrepperint, ideo omnia expungenda duximus, & opus ad saniolem orthographiæ rationem, quam librarius negligens fecerat, revocare curavimus. Nonnulla prætere-

(74) Quomodo ad manus meas Codex iste Ms. alibi dixi; nunc pluribus moveor rationibus ut credam, ad celeberrimam illam Farnesianam Bibliothecam olim spectasse, quæ a Carolo Rege & e Parmensi solo magna cum Civium meorum jactura in Neapolitano Regno asportata, qua occasione eandem a proletariis hominibus fuisse direptam compertum habeo.

rea hic adhibita leguntur, quæ parum latine dicta videri aliquibus possunt, qualia sunt *Veneria* singulari numero, *obstupeo* cum accusativo, & si qua sunt alia: sed hæc quoque exemplis non carent: *Livius* lib. xxxix. cap. xxii. Galli inquit; *Transalpini* transgressi in *Venetiam*; haud procul inde, ubi nunc *Aquileja* est; locum oppido condendo ceperunt: *Plin.* lib. II. cap. lxxii. declina in parte *Italiae*; quæ *Veneria* adpellatur: Et lib. XXXV. cap. iv. *Eques e Venetia*. Idem lib. XV. cap. xxiii. Arbustat agros *Venetia* salice propter uliginem soli: Demum pro *stupeo*. *Virg.* lib. II. *Aeneid.* Pars stupet innuptæ donum exitiale *Minervæ*: & *Cic.* II. de *Fin.* Hæc cum loqueris, nos *Varrones supemus*. Reliqua Lectori relinquimus. Dialogum autem hunc *Cl. Biscionius* & anecdotum dixit; & forsitan unicum hujus operis exemplar Ms. ac luce dignum quod fruatur publica; idem plurimi fenserunt. Et de numero quidem hæc judicavimus observatione digna.

V. Inter ejus opera merito recenseri debent epistolæ, facti familiares, quàm quæ *Præfationes* appellantur; in quibus mira quædam orationis venustas elucet: ex iis quinque a nobis sunt editæ: binæ ex familiaribus; credo; extant Romæ in *Bibl. Vaticana* in *Codicibus* signat. num. ccclxiii. Sed de iis quæ supersunt hæctenus. Modo recensenda ea sunt; de quibus tantum memoria durat apud nos.

I. Oratio de *Laudibus Regis Caroli VIII.*

II. Orationes item plurimæ diversis temporibus, & locis habitæ; quarum argumenta ipse innuit in *Orat. ad Conc. Later.* videlicet: I. de uberrima *Doctrinarum* fruge. II. de *Sanctissimorum Virorum* integritate; ac *sanctimonia*: III. de *Illustrium Mortuorum* nobilitate; ac *singulari virtute*. Quod orationum genus *quotidianam laudationum exercitationem* de se lo-

quen-

quentem appellasse a nobis dictum est supra. Ex numero *Epistolarum familiarium* binas *Egidio Viterbiensi Eremitarum Magistro* datas *Seraphinus Eremita* una cum aliis pluribus nonnullorum aliquot *Virorum doctrina illustrium* se collegisse affirmat usque ab an. mdcxvii. quibus (si eruditus ita videbitur) adnectemus *Epistolam de Honoribus Hermolai Barbari* ob *Themistii* versionem, de qua ipse *Barbarus* meminit in *Epist. ad Lippum* data. Sed non est credendum, tam paucas numero *Epistolas Raphaelem* elucubrasse; qui *Literatos illius ævi* insigniores amicitia sibi conjunctos habuit, quibuscum ei fuit officiorum, ac *lucubrationum* communicatio. Certe *Epistolas* pene multas a *Lippo nostro* ad *Jo: Antonium Flaminium* datas fuisse; ex literis ipsius *Flaminii* facile argui potest: quis enim sibi non persuadeat, *Lippum*, virum summa præditi comitate a *Flaminio* humanissimis literis sæpius provocatum, ad illum totidem non respondisse? quod inita inter ipsos amicitia ratio suo jure postulabat.

Plurima item carmina *Raphaelem* concinasse constat, ut inde *celebratissimi Poetæ* nomen obtinuerit: nullum tamen eorum vestigium nobis relictum est, si orationem excipiamus de *Laudibus Caroli VIII.* suavissimis carminibus ex tempore comprehensam, & eos versus, quos in *Cosmiana* solemnitate eum fuisse tradit *Giraldus*.

Ego vero non pauca *Raphaelis* hujus nostri opera adservari Romæ in celeberrimis illis *Bibliothecis* suspicatus sum, nec immerito, cum ibi præcipua ejus ingenii monumenta prodiderit. Rem cum *Tantio nostro* communicavi, qui, ut me fert in oculis, *Quadrio suo*, viro, tu omnes norunt, in literis consumatissimo, cum

tum Romæ degenti, ut omnia diligentissime perquireret, meis verbis per literas sæpe hortatus est. Quadrius, quo ad licuit, Amicogessit morem, nosque in maximam spem adduxerat, fore ut catalogum hunc ederemus hac ratione auctum in majorem molem. Quid multa? Ille ex improvise ab urbe recessit, & quod mente conceperat perficere haudquaquam potuit, nobisque tandem recta Mediolanum profectus, nihil attulit certi. Sed, ut rem expediam, etfi putem plurima Lippi nostri monumenta literaria penitus injuria temporum periisse, non pauca tamen latitare adhuc in situ, & squallore mihi firma sententia est: atque haud scio, an in illorum Bibliothecis marcescant, quos Aurelius Raphaelis nostri Germanus alibi *Fratres* (76) appellavit, Bibliothecis autem? Immo melius cum Poggio loquar, teterrimis, obscurisque carceribus, quibus ne vita quidem damnati truderentur: (77) digna sane monumenta, ut, si qua adhuc supersunt, in pristinam lucem educta restituantur, illustrentur ab iis potissimum, qui pretiosissimarum rerum fato non exiguo cum Literarum totius Reip. commodo consulere & possunt, & debent. (78)

RA-

(76) Præf. ad lib. de Rat. Scrib.

(77) Epist. ad calcem Codicis Quintiliani Institutionum in Ambrosiana Mediolanensi existentis, modo Editæ a Cl. Murat. ante Hist. Flor. ipsius Poggii in Tom. XX. Scrip. Rex. Ital.

(78) *Martinus Bvenerus* Epist. nuncup. præmissa Dialogo de Humanæ Vitæ conditione ab ipso edito an. MDXLIII. dubitavit, utrum de Aurelio eo in loco loqueretur Pontanus. Sed hæc quidem dubitatio omnino evanesceat, dummodo in memoriam revocentur quæ a nobis supra de Raphaelis dicta sunt, ac ipsa præterea Pontani verba paullo diligentius perpendantur: ibi enim Pontanus loquitur de Adolescentulo adhuc discipulo; Aurelius vero per illud tempus jam vir erat effectus, & sapientiæ laude florebat.

(1)

RAPHAEL BRANDOLINUS
JUNIOR LIPPUS
ALEXANDRO FARNESIO
DIACONO CARDINALI

S. P. D.

Quum mirifica, & prope immensa ex integerrima Leonis X. creatione fuisset lætitia, ac voluptate affectus, nullumque hætenus ejus rei testimonium declarassem: nolui & publico, & privato officio diutius deesse. Etenim cum a vobis declaratum esse Pontificem mecum animo revolvebam, qua cum mihi non eadem modo nationis, ac patriæ jura, sed non dissimilia animi, atque ingenii studia intercederent. Huc etiam creationis ipsius integritas

E

acc-

(1) Alexander Farnesius Cardinalis explorata rerum gerendarum prudentia, & inveterata virtute præcellens ab Alexandro VI. in Sacrum Collegium adolescens cooptatus per plures dignitatum gradus ad summum Pontificatum pervenit anno MDXXXVI. ejus ætatis LXVII. Paulus hujus nominis III. dictus. Consulendi Vitarum Pontificum Scriptores; præ reliquis *Luberi in parte II. generalis Historiæ Cardinalium*, qui Alexandrum valide tutatur adversus *Henning*. calumnias inter eos Hæreticos, quos *Protestantes* vocant.

mcedebat, quæ ut Christianorum omnium in se
 oculos, animosque convertit, sic pristinam vestro
 ordini auctoritatem, ac veterem existimationem re-
 stituit. Quocirca initi Pontificatus primordiis et-
 iam, atque etiam pensatis, gratulationem Leoni
 X. pluribus de causis a me debitam (ut ipse mi-
 hi persuadeo) & Pontificæ dignitati gravissimam,
 & professioni meæ satis aptam excogitavi: quippe
 qui veras, ac honestas gratulandi causas ade-
 ptus, te non postremum Senatorii Ordinis Pa-
 trem, & Albertum Carpenssem (2) excellentissi-
 mum virum, præclarumque Maximiliani Cæsaris
 Legatum in transiberino tuo secessu (3) colloquen-
 tes induxi, quibus nemo aptior, nemo clarior,
 nemo Christianæ Religionis observantior (pace re-
 liquorum dixerim) est mihi visus. Nam & tu is
 es, qui acceptam a majoribus nobilitatem, am-
 plitudinemque probitate, innocentia, pietate, mo-
 destia, doctrinaque admirabili non servas modo,
 sed

(2) Albertus Pius tum Maximiliani Cæsaris Romæ Legatus
 Corporum Regulus, vir maxime clarus, & in gravissimis
 apud Summos Reges, & Maximos Pontifices legationibus
 quotidie versatus; scripsit etiam contra Erasmusum Rothe-
 rodanum. *Paulus Jovius Elog. Vir Illust. Croeselius in
 Elog. Cornelius Tollius append. ad Pierium Valer. de in-
 felio. Liter.* Verum ex hoc dialogo plura habebis de Al-
 berto, de quibus alibi nulla mentio.

(3) In Farnesianis hortis trans Tiberim satis loci opportu-
 nitate, & mira rerum omnium proportionè, seu, ut si-
 gnificantius exprimam, *supperpi* omnium Romæ cele-
 bratissimis.

sed quotidianis gravissimarum rerum periculis lon-
 gius latusque diffundis. Ad integerrimam vero
 Pontificis creationem, ut vestri ordinis auctoritati,
 ut existimationi, ut castigatissimæ vivendi normæ,
 ut communi Christianorum paci quam optime con-
 suleres, cunctas animi, atque ingenii vires sedulo
 contulisti (4). Alberto autem maximas illas, cla-
 rissimasque tum Principis, tum vero legati virtute-
 tes inesse diu multumque perspexi, quibus perso-
 nam de supremo humani Gregis Pastore pruden-
 tissime colloquentem esse præditam oportet. Quas
 ob res gratulationem a me lætissimo creationis die
 Pontifici exhibitam tu quoque ejus ipsius lætitiæ
 & socius, & particeps libenter accipe. Et si mi-
 nus prudenter, ac erudite, quam & tui animi
 præstantia, & ingenii ubertas postulasset, vel al-
 teri, vel utriusque vestrum sermonis partes tribui,
 id tum lætitiæ affectui, tum argumenti ipsius ju-
 cunditati, tum verò clarissimæ virtutis tuæ, mul-
 tiplicisque doctrinæ claritati, ac magnitudini ad-
 scribe. Vale.

E 2 RA

(4) Senex tum erat Alexander, tamen præcipuus hujus
 Creationis Auctor a Lippo non semel dicitur contra rece-
 ptam reliquorum scriptorum opinionem affirmantium;
 Leonem X. Cardinalium Juniorum opera P. M. renun-
 ciatum fuisse; quod quidem singulare est, & notatu di-
 gnum.

68
RAPHAEL BRANDOLINUS
JUNIOR LIPPUS
LEONI DECIMO
PONT. OPT. MAX.

SALUTEM, AC FELICITATEM

D.

Gratulationis officium, in ipso felicissimi Pontificatus primordio Beatitudini Tuæ a me debitum consulto hætenus distuli, ne si unam, alteramve lætitiæ causam attulissem, ineptus, jejunusve, si plurimas (ut par erat) vanus, profususque nimium judicaretur. Itaque satius existimaui de te nihil in hunc usque diem proferre, quam vel paucissima in Pontificatu inepte, atque jejune, vel plurima vane, ac profuse spectanda, admirandaque posteris exhibere: quorum alterum maximis tuis, clarissimisque in omni virtutum genere, laudibus, quibus privatim, ac publice floruisti, alterum mansuetudini, ac modestiæ, quas tibi a natura tributas constanter tuearis, minime convenisset. Quid enim aliud efficere prima fronte considerate admodum potuissem, nisi Majorum tuorum memoria altius

repe.


69
repetita; tuarumque in minoribus dignitatum gradibus actionum serie non minus adversis, quam secundis in rebus caste, integreque ad Pontificatum perducta; & tibi felicitatem optare, & præsentibus optima quæque de tuo vel animo, vel ingenio præteritorum commemoratione divinitus augurari, ac firmissimam utriusque spem posteris polliceri, quum nihil interim abs te nimia temporis angustia inchoatum, gestum, confectumve scribere potuissem? Quod etsi parum moderationi tuæ, ac modestiæ consentaneum; singulari tamen, eximique virtuti suo quodammodo jure debitum arbitrarer. Nunc autem ubi ea initi Pontificatus fundamenta jacta esse conspicio, quæ gravissimam universi terrarum Orbis molem Beatitudinis Tuæ humeris impostam facile sustineant, non tibi solum, non tuæ Domui, ac Patriæ, sed huic Urbi, Etruriæ toti, Italiæ universæ, immo Europæ, aut cuncta potius Christiano nomini, atque imperio jure optimo censui gratulandum. Quamobrem gratulationem meam amplissimo isto tuo pietatis, & charitatis gremio suscipe; ejusque tarditatem, ac verecundiam, quas supra memoravi causas repende suscipe tui & civis, & servuli in Beatitudinem Tuam propensissimam voluntatem: quæ se quod maxime vult, assequi minus potest, id velle

E 3 de

70
 debet, quod omnino potest (5). Perlege igitur
 gratulationis libellum, in quo Alexandrum Farnesum
 Diaconum Cardinalem, gravissimum, ac doctissimum
 Senatorem, & Albertum Carpensensem Cæsaris
 Legatum, virum sane & animo, & ingenio
 præstantissimum in transiberino viridario colloquen-
 tes induxi, non modo ut Pontifici gratulaturus age-
 rem circumspicte; verum etiam ut intimas, hone-
 stissimasque lætitiæ causas a Senatorio Ordine, a
 cuncto Sacerdotum Cœtu, a profanis omnibus, ab
 ceteris gentibus, ac nationibus, a toto denique ter-
 rarum orbe profectas verius, ac liberius exprime-
 rem. Perlege, inquam, ea mente brevissimum
 tui nominis libellum, ut quæ cœpisti hæcenus in
 Christianam Rempublicam beneficia conferre, eo
 pro tui animi, atque ingenii magnitudine, proque
 optima tuæ integritatis, Religionis, pietatis, be-
 neficentia existimatione ad exoptatum unicuique
 finem sapientissime perducas. Quod si facies (ut
 ipse mihi persuadeo) non dico me ipsum, quem
 nullius prudentiæ, minimæque eloquentiæ esse
 perspicio; sed alios etiam plurimos, viros quidem
 industria consumatos, ac dicendi exercitatione per-
 fectos,

(5) Elegans sententia ex Terentio decerpta; ita enim in
 Andria act. 1. scen. 1. Birra Servus ad Pamphilum.....
 Quoniam id fieri quod vis non potest, velis id quod
 potest.

71
 fectos, qui magnis tuis, quotidianisque beneficiis
 invitantur, sed longe majorum stimulo incendun-
 tur, ad tuarum actionum præconia, ad laudum
 memoriam, ad veræ immortalitatis gloriam in-
 flammabis. Vale.



72
R A P H A E L I S
B R A N D O L I N I
L I P P I J U N I O R I S .

Dialogus LEO nuncupatus, in quo Alexander Farnesius Diaconus Cardinalis, & Albertus Comes Carpenfis Maximiliani Caesaris Orator colloquuntur.

A L B E R T U S .

Perjucunda est amœnissimi hujus viridarii cessatio, & viro gravissimis Reipublicæ molestiis detento opportuna, ac potius necessaria; tum ut a confluenti aulicorum frequentia, a quotidiana privatarum, publicarumque rerum sollicitudine a Senatoriis denique negotiis aliquantisper secedat; tum vero ut in otio præsentia, imminetiaque facilius negotia contempletur. Nam qui Magistratum prudenter gerit, nullum huic otium sine negotio esse debet: & ubi solutior aliquanto effectus est curis animus, quia tum maxime quod in re quaque optimum, atque verissimum sit facile discernit, exercendus hic est, ab eo præsertim, cui publici alicujus gerendi muneris vel

RAPH. BRANDOLINI LEO. 73
vel natura, vel fortuna injunctum est onus. Recte igitur & sentis, & agis, qui in amœnissimo hoc secessu superiores tempestates, atque procellas tecum animo revolvens; præsentem universi terrarum orbis serenitatem, ad perpetuam posteritatis tranquillitatem existimas pertinere. Nam & tu is es, singularem cujus prudentiam, nec minimam rerum omnium peritiam jure optimo suspiciant omnes, ac tui unius, vel consilio, vel judicio libere acquiescant. ALE. Perexiguum quidem prudentiæ fructum, doctrinæ vero nullum percepi: sed quantum in me fuit, dedi operam diligenter, ut a neutra prorsus essem alienus, ne vel naturæ, vel fortunæ, aut disciplinæ, aut denique existimationi omnino deessem. Quoniam autem urbani hujus viridarii secessum probas, & ad profuendam corporis, atque animi quietem, ad detractandas utriusque molestias, ad conferendas temporum qualitates, ad ineundam bene, beateque vivendi rationem commodissimum arbitraris, est mihi pergratum, ne dicam jucundum; tum quia nostrum ipse cessationis institutum non improbas, tum quia hoc ipsum tua præsentia, aspectuque alacrius reddis, tum maxime quia ea mihi liberius commentandi occasionem præbes, cui parem triennio jam non sum nactus: ea enim transacta sunt tempora, quibus corpore sollicitari, animo angi, ancipitem utriusque fortunam periclitari necesse fuit: eoque vel nullam ipse cessationis dieculam cepi, aut si quam fortasse cepi, me in Etruscos meos (6) recepi; ut ab

(6) Suos Etruscos merito appellat. Panvinius enim postquam Farnesios ex Germania in Cesarum Comitatu venes-

ab urbanis congressibus, a privatis, ac publicis querimoniis, a Senatoriis molestiis longius abessem, ratus aliquando fore, ut extinctis inter Christianos Principes simultatum incendiis, quæ maximam universi orbis partem cremarunt, propulsatis tempestatibus, atque procellis, quæ integrum pene Christianæ religionis robur concusserunt, ac labefactarunt, communi omnibus pace, tranquillitateque frueremur, & nostræ hujus sacerdotalis vitæ instituta corrigeremus, nostræ dignitatis facultates moderaremur, nostras, inquam animi, atque ingenii vires non quidem in nosmetipsos, hoc est in Christianos, sed in alienos, & quidem pertinacissimos diversæ legis assertores, pertinacissimos Christianæ veritatis contemtores uno consilio, sed diversis in locis terra, marique converteremus: quo nihil ad dignitatem honestius, nihil ad salutem optabilius, nihil ad laudem antiquius, nihil denique ad libertatem præstabilius fingi posset.

Et nisi hoc ipsum a nobis mature agitur, vereor, ne cunctationem multis in rebus proficquam tam gravi periculo, tamque periculo-

nisse, & aliquot ob eorum merita oppidorum in Vulsinensibus, & Salpinatibus ditionem sibi vindicasse dixerit: hæc addit: *Quamquam ipsum, familie nomen a Farnato Etruriæ pago, quo familia ipsa potitur, traxisse quibusdam placuisse viderim, qui a frequentibus farnis, quod quercus genus est, appellationem obtinuit; hinc in antiquis monumentis eos de Farneto vocari animadverti. Eugenius Gamurrinus in Tom. III. Histor. Famil. Nobil. Etruriæ &c. Farnesios ex nobili Florentina Familia (Simonezza, aut Siminetti) oriundos facit, a quodam nempe Buoso, & Ranutio, qui Farnetani appellabantur. Præterea Alexandrum ipsum in Etruria, Carini scilicet paternæ ditionis oppido, natum fuisse cum ipso Panno, testantur Ciac. & Cabrera quos consule.*

so negotio detestemur. Nam si ullam invadendam Europæ commoditatem perniciosissimi unquam nacti sunt hostes (ut certe plurimas patrum nostrorum memoria non contempsere) nostrâ hac tempestate, nec unam, nec sanè minimam & vident, & sentiunt. Jam pridem enim, ut scis potentissimi Europæ Principes dissenserunt, dum suum quisque jus, ac Regnum conservare, tueri, propagare omni opè contendit. Omitto sopita jamdiu bella antiquitus in Italia excitata, ut Ferrariense (7) Florentinum (8), Neapolitanum (9) inter Ferdinandum illum Seniore, & plerisque Regni Proceres exortum: quæ tametsi vetustiora censerentur debent, pessima tamen recentium malorum fundamenta jecerunt; sed illa ipsa, quæ a Ferdinandi illius Senioris obitu, & Alexandri VI. Pontificis creatione (10) & sus-

pta,

(7) Herculi Estensi a Venetis, & Sixto IV. Pontifice indicto anno MCDLXXXII. *Cyræus Aleriensis* a Sabellico rerum Venetarum Scriptore dissentiens singularem de hoc bello scripsit commentarium, editum in Tom. XXI. Script. Rer. Ital. Murat.

(8) Bellum a pæstiana conjuratione in necem Laurentii, Medices, ejusque Fratris Juliani Orrum, & a Sixto IV. ac Ferdinando Neapolitanorum Rege Florentinis indictum; Illud enim Ferrariensi, & Neapolitano, de quibus hic mentio occurrit, unice affine est: de hoc bello vix est Florentinorum Scriptorum unus, qui non amplissime commemoret, Consulendus *Politianus in Hist.* qua conjurationem hanc exquisitè descripsit, Edita inter ejus opera Basileæ annò MDLIII. & *Brutus Hist. Flor. lib. VI. & VII.*

(9) Non aliud quam extremum Neapolitanorum Procerum tumultum sub Innocentio VIII. excitatum innuere Lipsum puto, de quo etiam inferius meminit. *Vide Camillum Portium in hujus belli Hist. ab anno MCDLXXX. ad annum MCDLXXXVII. Ritium de Regibus Siciliæ lib. VI.*

(10) Ab anno scilicet MCDXCII. hoc enim anno Alexander VI. antea Rodericus Borgia Valentinus ad Summum

Pon-

pta, & gesta sunt, quantos Turcis animos erēdimus attulisse quum Alphonsum illum Junio-rem, cujus vim, roburque proprio periculo, magnaue suorum strage cognoverunt (11) sponte se avito, ac proprio Regno abdicasset; Sfortiadās (12) expeditum Carolo VIII. Gallorum Regi ad occupandum Neapolitanum Regnum per universam Italiam iter patefecisse: eosdem, percussio cum Venetis fœdere (13) redeuntis copias interclusisse, diripuisse, cepisse, ac trucidasse (14), speculatorum legatorum suorum, quos in Italia habebant, literis, ac nunciis acciperent. Quæ quidem simultates tantum effi-

Pontificatus apicem evectus est Romæ III. Idus Augusti. Ferdinandus vero ob Gallorum in Italiam adventum, qui contigit anno MCDXCIV. dolore animi confectus interit, eique Alphonfus II. Filius successit.

(11) Turcas enim, qui Hidrunta in ora Apuliæ bonamque Salentinorum Partem ex improvise adorti occupaverant, victos fortiter Italia expulit anno MCDLXXXI. *Pont. de bello Neap. lib. VI.* abdicavit se regno an. MCDXCV.

(12) Ludovicum nempe Sfortiam Francisci primi Filium, virum, ut inquit Jov. *singulari prudentia, sed profunda ambitione* ad exitum Italiæ natum. Sed de his omnibus vide *Chronicum Venerum*, sive *Commentarium de rebus in Italia gestis* a Carolo VIII. & Ludovico XII. Auctoris coævi in Tom. XXIV. Script. Rer. Ital. Murat.

(13) His adhæserunt Alexander VI. Maximilianus Cæsar, & Ferdinandus Hispaniarum Rex: *externus enim timor maximum concordie vinculum quamvis suspectos, insensu quo inter se jungebat animos*, ut opportune Livius lib. II. Dec. I.

(14) Ad Farum annem anno MCDXCV. pridie Idus Julias, de quo ingenti prælio variæ sunt scriptorum sententiæ: plerique tamen, inter quos Panv. Mœcenicus de *bel. lo Camer. & Forejus in Alex. VI.* Gallos tunc direptos, ac fugatos fuisse cum Lippo a nostris asserunt. Idem testatur *Franciscus Carpesanus Parmensis* in nitidissimis suorum temporum Commentariis lib. II. ex MS. Codice Bibliothecæ Altempensis a *Mabilion* primum erutis, & a *Martene & Durand* editis in Tom. V. Veterum monumentorum.

efficere potuerunt, ut ad nostram hanc tempestatem nihil usque quieti, nihil pacati, nihil denique tranquilli in Europa, nedum in Italia conspiciatur. Exacta primum fuit in ipso Caroli adventu a Florentinæ Reipublicæ gubernaculo Domus Medica, quæ Etruriæ toti præsidium, atque ornamentum præstabat (15), ejecta deinde ab avito Regno Ferdinandi illius Senioris, Alphonfique Junioris proles (16), in qua domesticarum, externarumque virtutum spei plurimum reponebatur. Amoti sunt postremo Sfortiadæ totius Cisalpinæ Galliæ dominatu a Ludovico Caroli successore (17), qui, ascitis in amicitiam Venetis, quemlibet propulsare impetum, magnum per se excitare, ac sustinere bellum potuissent, Decertatum est non longo temporis intervallo inter Ludovicum transalpinæ Galliæ, & Ferdinandum Hispaniæ potentissimos Reges de Neapolitano Regno (18) vario quidem eventu; & toto

(15) Anno MCDXCIV. Petrus Medices functus legatione apud Carolum Regem cum rediret ad suos statim ejicitur cum integra domo *Medici Patria expulsi*, subdit Panv. in Leone X. *quam annuum consensu, opibus, literis, & armis etiam illustriorem reddiderunt, decem & octo annos exules fuerunt.*

(16) Scilicet Alphonfus II. Ferdinandi I. Filius, Ferdinandusque II. Alphonfi ejusdem Filii maximæ spei adolescens. *Guicciard. lib. I.* quorum primus Regno, ut supra dictum est, se abdicavit, alter a Carolo VIII. exactus est anno MCDXCV.

(17) Hic enim Carolo VIII. successus anno MCDXCVIII. statim in Italiam descendit, & Ludovicum Sfortiam & Mediolanensi Principatu, quem ex legitima successione Valentiniæ ejus Avie ad ipsum devolvebatur, occisime fugavit de hoc jure scite *Ritius de Regibus Franc.* lib. III. Guicciard. lib. IV. & Jov. in Hist.

(18) Anno siquidem MDII. ad bellum descenderunt de finibus Neapolitani Regni contendentes, quod ejecto Friderico bipartito inter se prius dividerant. De vario hujus belli

toto Alexandri VI. Pontificatu (19) qui locus pletandæ, ac supra modum attollendæ domesticæ posteritatis cupiditate incensus, utriusque Regis partibus pro temporis commoditate favebat, est variè fluctuatum. Qua de re dum Europæ Principes, ac populi mutuis inter se discordiis tenerentur; oblatam Turcæ propagandi imperii occasionem arripuerunt: Quippe qui Methonem, Coronemque in Peloponneso, Naupactum in Ætolia, Dyrrachium in Epiro, Urbes & natura, & arte munitissimas invaserunt, expugnarunt, diripuerunt, incenderunt (20); & nisi Venetorum viribus, qui terra, marique plurimum roboris, ac firmitati habebant, illis fuisset occursum, pessime tunc nobiscum proculdubio foret actum. Nosti tu cuncta, quippe qui non solum iungendis, dissolvendisque foederibus interfuisti,

ve-

belli eventu egregie *Sendrega de Reb. Genuen.* in Tomo XXIV. *Script. Rer. Itali. Murat. & Carpesianus meus* lib. IV.

(19) Spatio scilicet annorum XI. totidem enim in Pontificatu vixit, de quo passim omnes conqueruntur. Hinc inter plurima dignum musa sua, sed mordicum Epigramata cecinit *Jacobus Sannazarius in Edit. operum ejus Lugdunens. apud Jacobum Rossin. anno MDCVII. Epigram.* lib. II. pag. CLXXV.

(20) Anno MCDXCIX. & sequenti Bajazetus II. in Græciam irruens Naupactum extremum Ætolorum oppidum in Græcia propria, nunc *Lepanto* cum Dyrrachio, nunc *Durazzo* occupavit: Subinde Methone, *Μεθών* hodie *Modon*, coroneque *Κορών*, vulgo *Coron* Messeniæ Urbes in Peloponneso (hæc vero magna peninsula cæteræ Græciæ adjecta est) etiam captæ. De hac in Græciam irruptione omnes Venetarum rerum Scriptores, præcipue *Mocen. de bello Camer.* lib. I. qui suos redarguit, quod animum adverterunt ad Continentem, & Turcis parum obviam irent. Quomodo autem Veneti hæc omnia magnis Conatibus a Turcis recuperaverint fufè narrat *Bemb. Hist. Venet.* lib. V.

verum etiam (quæ tua est animi, atque ingenii excellentia) præfuiti: *ALB.* Ego quidem, & animo, & ingenio præstare nihil potui; siquid autem posse sum visus, id ipsum ad communem Italiæ concordiam, ad stabilem Christianorum Principum amicitiam, ad perpetuam Europæ pacem me profiteor contulisse. Nam illa ipsa, quæ tu dudum graviter, copioseque recensuisti, mihi tamquam ex alta specula prospicienti tempestatem futuram, in quas devenimus calamitates verissime portenderunt. Et quum nec ego, nec nostræ tempestatibus quispiam illis vel auxilio, vel saltem consilio opitulari posset; eorum jacturam, qui præsentanea hujusmodi malis remedia adhibere sæpissime consueverant, commo- distimeque potuissent, nostro magis, quam illorum incommodo deploravi: desiderabatur enim Ferdinandi illius Senioris Neapolitanorum invictissimi Regis & prudentia, & virtus, implorabatur frustra Laurentii Medices clarissimi post hominum memoriam & Civis, & viri industria, atque constantia: ad utrumque enim omnes Italiæ controversiæ deferebantur; in utriusque manu & pax, & bellum esse videbatur (21). Huc accessit inquietus Julii II. Pontificatus, quo toto nec ubi fuit a bellis ac præliis cessatum; Quippe qui integrum apostolicæ Sedi patrimonium Majorum suorum partim negligentia amissum, partim avaritia ne-

gle-

(21) De Ferdinando opportune *Fr. Thomas Fazellus de rebus Siculis postea.* Dec. lib. IX. cæterum, inquit, ob admirabiles illas virtutes, quibus maxima ipsum fuisse ornatum ante diximus, tantum ejus valebat auctoritas, us quoties vellet, universæ Italiæ pacem solus procuraret, aut ad bella gerenda eam concitaret. De Laurentio autem ita passim *Nardus. Brutus, & Guicciard. in Hist. & Junior Beroald. in Prefatione ad Cornel. Tacit.*

glectum, partim profusione absumtum uni sibi recuperandum, servandum, augendumque proponens, percusso cum Ludovico, ac Ferdinando, Gallia, atque Hispania Regibus foedere, (22) Bononiam primo, exactis Bentivolorum factionibus, in suam fidem, ac potestatem recepit (23) mox cum Venetis tum sacris tum profanis armis contendens (24), non Ariminum, atque Faventiam modo, sed integram Cerviam, Urbes novissime occupatas (25) Ravennamque diutissime detentam (26) ecclesiastica restituit ditioni; quibus domestico, exterioque praesidio confirmatis, Ferrariam Ecclesiae tributariam (27), ejecto Alphonso Estense.

- (22) Ad Cameracum in Belgis oppidum, ob id *sedes Cameracense* dictum, *Andream Mocenicus* Venetus Patritius peculiarem de hoc foedere scripsit Commentarium.
- (23) Anno MDVI. Bentivolis fugatis, Julius Bononiam victor ingressus est. *Paris de Crassis* Caeremoniarum Magister in diariis, in quibus illud iter descripsit, plura refert de hoc ingressu.
- (24) Gravi scilicet interdicto in illos lato: in quo sensu etiam *Ciac.* in Julio II. Pontificem non modo militaribus armis formidabilem, sed etiam *Ecclesiastico anathematis* *urbine* terribilem dixit: hujus interdicti exemplar habes in lib. cui titulus: *Monitoria, & declarationes excommunicationis contra Venetos promulgata* a Clemente V. Sixto IV. & Julio II. Romanis Pontificibus. Romae ex Typographia Vaticana anno MDCVI. in forma quarta.
- (25) Haec namque in obitu Alexandri VI. cum a Caesare Borgia defecissent statim omnes Venetis cesserant. *Bemb. lib. VI. Hist. Venet.*
- (26) Ab anno scilicet MCDXLI. quo anno Hostasio V. Polentano Ravennae Domino repudiato, Ravennates in Venetorum potestatem se se dederunt. Quomodo autem eam Pipinus Ecclesiae dono dedit anno DCLI. recole apud Rubeum *lib. VIII. Hist. Raven.* & Capesanium lib. V. qui ob haec ostendit, jus fuisse Julio *urbes has omnes recipendi.*
- (27) Siquidem a Gregorio IX. ut vult *Murar. in parte I. Antiq. Esten.* pag. ccclxxxix. Azzo VI. Athesinus Fer-

se sibi omnino assequendam decrevit; vel ut Borgiacas Alexandri VI. reliquias (28), quibus erat infensus, acerime persequeretur, vel ut, nacta contumacia occasione, Alphonsum sibi suspectum deprimeret, vel revera ut praeclearam Apostolici patrimonii per se recuperati memoriam posteritati relinqueret. Quod sane facinus, quo erat caeteris omnibus difficilius, eo quidem libentius suscipiebat, vehementiusque gerebat; utque voti compos efficeretur, nullam laboris, periculi, difficultatis sumptus habuit rationem. Hinc consecutae sunt plurimae, gravissimaeque simultates: cum Gallis ruptum est foedus (29) Hispani ab iis alienati; (30) adsciti in societatem Britanni multis de causis Gallorum Regibus jampridem infensi; (31) provocati ad Gallici excidii foedus Germani

- rariam Vicario nomine primum accepit anno MCCVIII. Salinguerra ejecto: anno tandem MCCXXIV. Joannes XXII. P. M. firmata pace cum Rinaldo, Obizo, & Nicolao, quos *Marchiones* vocabant, in Ferrariae Vicarios confirmavit, ea tamen lege, ut quoque anno solverent Ecclesiae *tributi nomine Florenos* decem mille: quod onus ab aliis Pontificibus, modo auctum, modo imminutum per illud tempus Alexander VI. ad centum tantum *Florenos* reduxerat *Sardus Hist.* Ferrarien. De hoc bello contra Alphonsum a Julio II. susceptum, anno MDXI. fufe *Guicciard. lib. IX.*
- (28) Lucretia quippe Borgia Alexandri VI. Filia Alphonse Estensi matrimonio juncta erat.
- (29) Ludovicus enim Rex Alphonsum accerrime tutabatur, pro cuius incolumitate, ac defensione saepe testatus fuerat, se libenter omne Regnum expositurum. *Bonanus in Julio II. & Lippus noster in Orat. ad Conc. Later.*
- (30) Et quidem facili negotio; nam Ferdinandum occasionem nactum simultatum inter Gallos, & Pontificem tum callide studiosum fuisse Auctores ferunt.
- (31) *Guicciard. lib. IX.* Praecipuae simultatum causae originem duxerunt ab Eduardi III. Eduardi II. Angliae Regis filii ex Isabella superstitre Filia Philippi Pulcri Galliae Regis, & a Philippi Valesii temporibus, ejusdem Philippi Pulcri ex Fratre Nepotis huac Regem sibi constituerunt

mani (32); tentati, deductique non postremi Senatorii Ordinis ad defectionem Patres, (33) ut utriusque armis cum Julio II. a Gallis dimicaretur. Quod quum animadverteterem feci; quod gravissimis quandoque pelagi tempestatione; diverso tamen flatu in tutissimum se portum recipiunt (34): posthabitis Gallorum negotiis, quorum auctoritatem jam inclinari perspiciebam, Germanis adhæsi; nec me initi hactenus consilii pœnituit: Nam post Ravennatē cladem Ecclesiasticis copiis illatam (35);

eo-

runt Galliarum Primates, Eduardo fremente, qui Regnum ad se pertinere præsumebat. Hinc acerrima bella inter Gallos, & Anglos, ita quidem ut Angli Aquitaniam, & Normandiæ Maximam partem, & Lutetiam, & quidquid circum est plurimis annis occuparint; donec a Carolo VII. Philippo Valesii abnepotē profusus ejicerentur *Froschard. lib. I.*

(32) Maximilianus nempe Cæsar, qui tamen erepti sibi Patavii clade valde offensus in Venetorum amicitiam a Pontificē addūci numquam potuit.

(33) Quinque fuisse Cardinales, qui pecunia & pollicitationibus, ut ait Ciac. *de debita Pontificis Fide distracti* Pii Concilium Julio II. indixerunt anno MDXI. *Panv. Cabrera; Ciac. Cit. & Lippus ipse in Orat. ad Cond. Later.* tradunt, licet *Rubeus* novem a Carvajali seductos fuisse asserat. Horum præcipui fuerunt dictus Cardinalis Berardinus Carvajal Hispanus Sabinorum Episcopus, & Federicus Sanseverinus S. Theodori Diaconus Cardinalis. *Rub. cit. Hist. Raven. ad hunc annum. Victorell. add. ad Ciac. & alii.*

(34) Ex Tallio Epist. ad Lentulum IX. ibi *ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere non queas; cum vero id passis mutata velificatione assequi sultum est cum tenere cum periculo cursuram quem cœperis; potiusquam ea commutato, quæ volis tandem pervenire.* Hujus vero defectionis causam indicat *Jov. in Elog. Vir. lit. Illust.* asserens, Albertum coactum fuisse alterna partium studia præstiteri; quod his omnino adhibendum judicaret, quibus Alphonsus Athesinus hostis esset, quocum de possessione paterni agri disceptabat.

(35) Inquit prælium apud Ravennam Flaminie Urbem a Gal-

eorum res fluere; ac labi cœpit: licet enim spectatam victoriam reportassent; maximam perditatis partem trucidassent; nostrorum Ducum plurimos; atque fortissimos; hodiernumque Pontificem; tunc Sedis Apostolicæ Legatum cepissent; acerbissima tamen viros ipsi, desideratis plerisque eorum Ducibus; sunt clade affecti; quæ ejusmodi fuit; ut non modo parte victoria non progredierentur, sed integrum cisalpinæ Galliarum dominatum fusi; fugatique repente amitterent; (36) tantum enim Pontifex; profligato exercitu; maximaque Æmilie; ac Flaminie parte ad Gallicam fidem conversa efficere potuit, quantum integris copiis; & utraque provincia in officio permanente vix esset ausus optare. Confederati Reges (37); ut qui nondum satis causæ ad inferendum Gallis bellum adepti; terroribus; ac minis agendum putarent; terra; marique copias eduxerunt; & a pyrenæis montibus; ac Britannie freto Gallos adorti; cunctas ab Italia illorum vires retraxerunt: Bellicosissima Helveticorum gens per Sedunensem Cardinalem prece; ac pretio comparata (38); magnis

F 2 it-

Gallis cum Pontificis copiis confertum anno MDXII. ab omnibus decantatum, qui Historiam Pontificiam; seu Ecclesiasticam, vel secularem illius ævi tractarunt.

(36) Italia enim omnino septuagesimo a pugna die; Panvino teste; magno fortune ludibrio exacti sunt; jactantes adversus pietatem non pugnandum Cardinalis Ægidius in suo Ms. Hist. XX. Secul.

(37) Ferdinandus Hispanie; & Henricus VIII. Anglie Reges; qui Julii II. Pontificis adhortationibus contra Gallos arma moverunt. *Murat. Annales Italie ad annum MDXII.*

(38) Nulli parcendo sumptus conquestos fuisse ait *Ciac. in Julio II.* per Mattheum Sedunensem cognomento longo, seu rectius cum Old: *Schiner* natione Helveticum in Cardinalium Collegium cooptatum a Julio II. Anno MDXI. fortitudine, dexteritate in Helverios contra Romanæ Ecclesie hostes concitandos illustrem.

itineribus in Cisalpinam Galliam Venetiamque provincias contendens, alios novarum rerum cupidos, quosdam Gallicæ factionis infensos, nonnullos barbarici impetus formidine conternatos, plerosque Infubriæ populos divinitus immutatos, fufis, ac fugatis Gallorum reliquiis, in deditionem accepit. Captivorum alii in Mediolani arcem recepti; nonnulli ad Alphonsum Ferrariæ Ducem, cujus fidei, atque constantiæ Gallus plurimum tribuebat, quidam vero sunt in transalpinam Galliam cum custodiis destinati: inter quos noster hic Pontifex tanquam immaculatus ad victimam agnus pessimo conculcandæ Religionis exemplo deducebatur. Sed consuluit Deus Optimus Ecclesiæ suæ; Religioni prospexit, teterrimæ nostræ tempestatis, ac multorum antea seculorum calamitati occurrens: quippe qui Cardinalem plurimis ab ineunte ætate laboribus, periculisque perfunctum, integerrimum Sedis Apostolicæ Legatum, summa religione, pietate, constantia ipsis etiam hostibus venerabilem in pristinam libertatem, dignitatemque divinitus vindicavit. Peracti seriem negotii amplitudini tuæ jampridem exploratam non commemoro: communem vero felicitatem mecum ipse contemplan, nunquam admirari fatis possum. *ALE*: Prudenter quidem sentis, & vere, nihil enim Christianis felicius, nihil nostro ordini gratius, nihil universo Sacerdotum cœtui jucundius, nihil Julio II. cujus ipse vices Bononiæ caste, integreque gerebat, carius afferri potuit, quam eum nec prece, nec captivorum commutatione, sed divina potius ope a Gallicis custodiis liberatum; quod quidem accepto nuncio multis verbis est locupletissime testatus. Sed quando a formidoloso Turcarum sermone in præclaram Leonis X. incidimus mentionem, re-

rum

rum in eo invictissimi animi, præstantissimi ingenii, nec minimi consilii exemplum, licet sibi compertum, nunc demum ob rei eventum meminisse utrinque nostrum jucundissimum esse debet; eum ipsum videlicet, quum Ravennate prælium iniretur, quum tormentis, pilis, gladiis mars utrinque sæviret, quum nostræ acies inclinaret, quum nostrorum alii fugerentur, nonnulli caperentur, permulti passim trucidarentur, quum ipse in hostiles manus deveniret (39) Mediolanum duceretur, ductus Gallico præsidio servaretur, non paucis terroribus, minis, pollicitis oppugnarentur, quum denique a Gallorum præfectis in Transalpinam Galliam mitteretur, incredibilem animi magnitudinem, invictum robur, inauditam constantiam, singularem modum, atque modestiam, quam ab ipso matris utero arripuerat, nihil prorsus imminuisse; Quippe qui antequam instructa acies progredere, ineundi prælii rationem a Ducibus percunctatus, equitatus, ac peditatus delectum habuit, Tribunos, Centuriones, ac milites ipsos, ut pro servando Sedis Apostolicæ patrimonio, pro aris, ac focis, pro communi Italiæ libertate, pro salute, pro dignitate strenuissime decertarent, graviter, copioseque est adhortatus. Nec multo post in ipso prælio nullo periculorum genere conternatus, nullo metu perterritus, nullo vulneris, nec iple aspectu commotus, velut fortissimus Imperator permansit: captivus amissam auri, atque argenti supellectilem neglexit, stragem

F 3

(39) Quomodo captus fuerit a Gallis ex innumeris eleganter explicat *Cias.* in Julio II. fufe Jov. in Leone X. ad mentem autem Lippi nostri hæc opportune subdit Lucas Eremita in Hist. Romualdina: *Legatus Apostolicus in Clade Ravennate non arripuit fugam, sed morienses Sacro iuravit officio, maluitque ab hostibus capi, quam Apostolicæ Klari munus non obesse.*

gem tamen suorum, ac Sedis Apostolicæ detrimentum ut Christianus, ut non postremus Ecclesiæ Sacerdos, ut Legatus vehementer indoluit. In ipso itinere, quo Mediolanum est destinatus, quantum efficere potuit, personæ, quam gerebat retinuit dignitatem; Mediolani vero Sedis Apostolicæ majestatem, gravitatemque nunquam abjecit (40); & quamquam captivus, nihil tamen cogitavit, nedum egit, quod a se cogitatum, actumque nollet. Ad diversam factionem frequenter invitatus, nunquam animo, ne dicam verbis accessit; & quum plurimæ sibi opes, & copiæ, præstantissimi honores, ac dignitates, firmissimæ Principum amicitia; amplissima recuperandæ Patriæ spes a Gallicæ factionis primatibus proponerentur, in arctissima corporis custodia verissimam animi retinuit libertatem. Quid quod, ipsum quoque legati munus, habita Pontificis facultate, nonnunquam obiit tantâ modestiâ, atque animi firmitate, ut ab ipsis etiam Gallicis delictorum veniam obsecrantibus non quidem ut captivus, sed Apostolicæ Sedis Legatus incredibili observantia coleretur (41): Quod quidem, si quis tempus, locum, personas, ac res ipsas paullo diligentius contemplerur, certissimum illud Pontificiæ dignitatis postea consecutæ fuisse præfagium cognoscet. Exardebat porro gravissimum inter Romanum Pontificem, ejusque confœderatos Principes, & Gallos bellum, existimabatur in Italia Mediola-

nium

(40) Captivus Bononiæ, deinde Mediolanum perductus Apostolici legati Majestatem non exiit... fulgebam divina prope dixerim auctoritatis luce. Ita Old. add. ad Ciac.
 (41) Nam per Julium Medicem, qui postea Clemens VII. fuit, Pontificis diploma allatum est, quo facultas legato dabatur schismatis, & anathematis sordibus inquinatos expiandi: de cujus admirabili exitu cum Lippo etiam Jov. & Ciac. locis cit.

num tutissimus Gallicarum partium portus; confluebant eo cujusque generis, ac dignitatis viri, modo essent a Gallicis partibus non alieni, erat denique recentissima injuriarum memoria ob victoriam non incruentam. Itaque divinam sane hujus extitisse integritatem, ac religionem, quæ facillimum recuperandæ libertatis aditum patefaceret, vel mediocris judicii nemo non poterit judicare. ALB. Ego quidem maximas, clarissimasque ejus virtutes semper obstupui, atque in primis eam animi magnitudinem, eam constantiam, id denique religionis studium, quod afflictis, atque prostratis rebus & privatim, & publice retinuit. Libertatem vero quippequam non amiserat, nunquam illum recuperasse, ne tum quidem, quum in Papiensi agro hostilem ascensurus scapham (42) a cruentis hostium manibus est egregie liberatus, jure optimo affirmaverim. Nam si potestatem nostro judicio, arbitrioque vivendi recte dicimus libertatem, eumque dumtaxat ejus compotem arbitramur, qui, ut Cicero ait (43) recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi ratio considerata, atque provisâ est, qui legibus quidem non propter me-

F 4 tum

(42) Locus hic fidem conciliat Jovio, qui secus luisse potius, quam ingenue rem narrasse facile videri poterat: Jam totum agmen (inquit in Leone X. ad flumen pervenerat, multisque transmissis... ipse plane inter postremos anterioribus multa pedibus navigii proram attigerat, quum a tergo exauditus clamor, & adventantium conspecta acies mulam avertit. Ita... fugatis Gallis Legatus eripitur. Divinam vero erga Cardinalem Medicem in hac fuga providentiam exquisitissimis sententiis extollit. Egidius Viterbiensis in quadam Epist. ad Seraphinum in Tom. III. veterum Monumentorum Martene & Durand. concludens, tantum rem esse, ut scriptorem desideret alium; ego enim, inquit, id tantum dixerim: a domino factum est istud, & præter omnia que multis antea Saculis gesta sunt, est mirabile oculis nostris.

(43) Parad. V.

tum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia salutare, maximeque necessarias esse iudicat, qui refrænat libidines, spernit voluptates, iracundiam tenet, coercet avaritiam, cunctas animi labes propulsat, dedecori, ac turpitudini dominatur, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter, ac libere cujus omnia consilia, resque omnes quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque feruntur; nec est ulla res, quæ plus apud eum poleat, quam ipsius voluntas, atque iudicium; cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit: si hunc, inquam, unum jure optimo liberum, præterea neminem, & sentimus, & prædicamus; quis nostro hoc Principe fuit liberior? quis solutior, quis denique vivendi ut voluit, vel tunc quum arctissima armatorum custodia teneretur, parem huic habuit potestatem? Nemo quidem, nemo; nec ille ipse, de quo tam multa ad laudem scripta sunt, M. Regulus (47), cuius si non animi magnitudo, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse tot virtutum præsidio munitus, tantoque comitatu integerrimarum actionum septus, capi, constringi, cruciarique a Pœnis potuit; quum ipsius corpus caperetur, constringeretur, cruciaretur: hujus profecto celsitudinem, gravitatem, fidem, constantiam, virtutem, ipsum denique animum nullo virtutum genere non adornatum, nequaquam fuisse capturum, atque ullius carceris custodiæ astrictum existimare & possumus, & debemus:

At-

(44) M. Atilius Regulus primo bello Punico Consul iterum in Africa ex insidiis captus. De hoc *Cic.* pluribus in locis, præsertim lib. III. *Offic. & Parad.* II. ex quo Lipsius hæc decerpit. *Eusebius* etiam lib. II. *de Gestis Roman.* & *Horat.* Ode V. lib. III.

Atque eo magis, quod hic pro Christiani orbis salute; ille pro unius urbis dignitate; hic pro clarissima Christianæ veritatis luce; ille pro obscurissimis Romanæ ambitionis tenebris: hic pro Religione, atque Imperio Christiano, ille pro unius populi dominatu: hic ut assertam ab Apostolis Christianam legem, obedientiamque Romanis Pontificibus exhibendam constantissime tueretur; ille, ut illatam Mamertinis Populi Romani sociis a Pœnis injuriam vindicaret decessans in hostiles manus devenit: iccirco illud ipsum temporis spatium, illum carcerem, atque custodiam, non captivitatem, sed præclarum præditiæ, religionis, constantiæ, præstantissimarumque animi, ingenii, consilii, actionum fuisse periculum; ac potius testimonium existimari velim: illam vero divinam evasæ custodiæ non fugam, sed professionem, ac susceptum iter ad præclarissimas res gerendas, ad patriam recuperandam, pacandamque, ad restituendam Italiæ dignitatem, ac pacem fuisse: ita enim e Papiensi agro primo Mantuam, deinde Bononiam magnis itineribus contendit, ut & hostium custodias, & plurima itineris pericula divinitus evasisse iudicaretur: quanta cum alacritate, ac lætitia fuerit Mantuæ susceptus, & quam honorifice habitus; (45) quanta celebritate, & quam solida omnium voluptate legationem sibi antea demandatam, integerrimeque administratam receperit in præsentem commemorare nihil est opus. Recordaris tu: fuit enim ejusmodi utriusque fortunæ exemplum, ut cujusque animo excidit nec facile possit, nec jure debeat: recordaris, inquam, & pro singulari tua in illum benevolentia, ac observantia,

ut

(45) Ita *Cicac. Old.* & reliqui vitatum Pontificum Scriptores in Leone X. & Jov. præsertim.

ut tunc maxime obstupuisti, ac mirificam cepisti voluptatem; ita nunc idipsum recolens, & mirum in modum obitupescis, & fortunæ successu maximopere lætaris ALE. Utrumque animi effectum occultare non possum: fuit quidem ejusmodi res, quæ modico temporis spatium omnium animos & consterneret, & recrearet. Quid enim gravius, quid acerbius, quid denique molestius & Romano Pontifici, ejusque Senatui, & confœderatis Principibus afferri poterat, quam acceptam esse a nostris magnam equitatus, ac peditatus cladem? direptam Ravennam maximam Æmiliæ, ac Flaminia partem ab hostium copiis occupatam, captos plerosque, ac cæsos nostri exercitus Duces? Quodque dolendum, ac deplorandum magis esse videbatur, innocentissimum Sedis Apostolicæ Legatum factum esse hostilem prædam? Quid rursus alacrius, quid honestius, quid optatius renunciari, quam recuperata utriusque Provinciæ oppida? fugam hostes, quam progressum maluisse? Legatum ipsum hostiles manus divinitus evasisse? interruptum legationis munus recepisse? Noli dubitare; tam jucundus unicuique accepti illius nuncii visus est dies, ut cæteris omnibus fuerit jure optimo præferendus: ita medius fidius Julii II. mentem, ac voluntatem erexit, vel (ut verius dicam) confirmavit, ut ad communem quietem, ad perpetuam Sedis Apostolicæ dignitatem alacrior, ac promptior redderetur. Neque enim satis habebat in ipso acceptæ ad Ravennam cladis terrore, atque periculo Lateranensem Synodum indixisse (46), ac cœpisse, amiss-

(46) Alibi in Orat. ad Conc. Later. de eodem loquens dixit: *Id quarto Nonas Majas, ut scitis, accepta paulo ante ad Ravennam clade constantissime (Julius) inchoavit.*

amissas provincias recuperasse, hostiles copias fudisse, ac fugasse, ni omnem illis inferendi belli spem, & januam præripiendam, occludendamque censuisset. Itaque Florentiæ ab illorum fide, ac amicitia dirimendæ optimum, & salutare consilium inivit: siquidem expetitis confœderatorum Principum, habitisque sententiis, primo per Laurentium Puccium (47), nunc & sua virtute, & Leonis X. benignitate nostri Ordinis numero aggregatum, tunc Datandi muneri additum, de cujus egregia animi firmitate, constantiaque, ac de singulari in Medicam Familiam fide, & observantia, cuncta sibi poterat verissime polliceri, Florentinorum animos mitius (48) tentavit, non ignarus sine plurimo & fortunarum, & locorum, & personarum incommodo, ac detrimento ullius Reip. formam immutari non posse; mox ubi hac ratione nihil profecit; adjecta Bononiensi totiùs Etruriæ legatione, cum Hispanis copiis, cæterisque auxiliis Legatum Florentiam versus ire jubet; jussum, quibus potest admniculis fovet (49), ed ad arripiendum aspi-

ran-

Indixit illud Julius anno MDXI. inchoandum anno MDXII. quod ad plures dies protraxit, tandem in diem Inventionis S. Crucis sacrum rejecit. Vide Sefs. 1. *Inscrutabilis R. P.*

(47) De hoc Puccio plures meminerunt, quorum non paucos affert *Old. in add. ad Ciac.* sed extat inter cætera *Sadoleti* Epistola, in qua illum defunctum maxime celebrat: ex Protonotario Apostolico, ac Datario a Leone X. Cardinalis renunciatus est anno MDXII. Quantum esset Mediceis addictus explicat *Nardus* lib. V. *Hist. Flor.*

(48) *Guicciard* lib. XI.

(49) Idem *Guicciard* lib. cit. . . . *Fu deliberato, che l'esercito Spagnolo, col quale andassero il Cardinale, e Giuliano de' Medici, se volgesse verso Firenze: Chiamasse il Cardinale, il quale il Pontefice dichiarava in questa spedizione Legato della Toscana, i Soldati della Chiesa, e quegli che più gli paressero a proposito delle terre vicine.*

rantis fortunæ statum creberrimis literis, ad nunciis adhortatur. Successit illi ex animo consilium. Vix enim fuerant Florentinis suburbanis admotæ Hispanorum copiæ, quum statim conversa est totius Florentinæ Reip. voluntas, sive insperata Prati direptione, (50) vel novarum rerum cupiditate, vel præpollenti Medicæ factionis studio, vel divino potius permisso, ac nutu; quippe qui nollet, a quibus ea Civitas fuerat Principibus decorata, ac illustrata, eorum ipsorum posteritate diutius orbari; & quæ tranquillitatis plurimum universæ Italiæ asserre poterat, non parum terroris Civitatem incutere. Accepisti tu quanto Domus Medica Etruriæ toti, ne dum uni patriæ præsidio fuerit, ac ornamento. Ego quidem ab ineunte ætate in Florentino gymnasio, ubi utriusque linguæ studia Medicorum sapientia, ac munificentia præ cæteris vigeant, græcis literis operam navans mirifice sum admiratus. Nec hodierna temporum perturbatione non prospicis, quantum Florentinæ Reip. statu nostro foederi adjuncto consecuturum sit tranquillitatis, quum eo nobis disjuncto plurimum sollicitudinis, atque periculi immineret *ALB.* Nunquam prius amotum fuisse metum sensi; omnemque Gallici impetus terrorem evanuisse, quam Florentina ingenia, Florentinas opes, & copias ad Pontificis sententiam, ac voluntatem traductas accepi. Medica præsertim familia in Patriam revocata, a qua & innumera, & maxima tum pace, tum bello in eam

(50) Pratum Etruriæ Oppidum (nunc Civitas) a Florentia parum distitum, ab Hispanis, & auxiliariis Copiis expugnatum anno MDXII. pridie Kal. Sept. Quare dicat *insperatam direptionem hanc, ostendit Bonas. in diassis ad hunc annum.*

eam Remp. profecta fuerant beneficia (51). Cœpit Cosmus maximas animi, atque ingenii opes ad Urbis Florentiæ dignitatem, ad cultum, ad posteritatem conferre: quippequam profanis, sacrisque ædificiis excoluit: summis optimarum artium ingeniis decoravit; virtutum omnium splendore illustravit; Bibliothecis locupletavit; firmissimis potentissimorum Principum amicitias corroboravit, & quum nihil supra civem auderet, nullum tamen optimi Principis munus neglexit: quo perfectum est, ut præclarus Civis cum sapientissimis, ac splendidissimis ea tempestate Cæsaribus animi præstantia, gerendarum rerum consilio, religione, justitia, æquitate, beneficentia non immerito conferri possit. Hunc secutus est Petrus Filius, qui quantum suo apte ingenio præstare non potuit, ut Parenti par, æqualisque conferretur, tantum Laurentio Filio præstandum, explendumque delegavit. Meministi tu quidem plurimas, ac nobilissimas Laurentii actiones, observasti gerendæ Reip. normam, propagandæ ad posteros virtutis, ac sapientiæ studium proprius inspexisti. Itaque non ab re fuerit, si, ut

(51) Infinitus essem, si singulos Auctores referre vellem, qui de Medica domo literarum omnium altrice, præsertim vero de Magno Cosmo, ac Petro Filio, & Laurentio ejusdem Petri Filio cumulate egerunt, eorumque egregia facinora illustrarunt: quorum non paucos erudite recensuit Bandinius Tom. I. & II. Specimen: Liter. Flor. & Fridericus Otto Menckenius in sua Hist. Vitæ Politiani passim; siquidem in hoc argumenti genere nova in dies volumina in lucem prodeunt, aut a præstantibus nostræ ætatis ingeniis elucubrata, aut eruta e tenebris, & diligenter instaurata, ut (quod de Laurentio Junior *Bevoaldus* alibi dixit) jam necias, *utrum majus præsidium literis attulerit Domus Medica, an ab eis majus ipsa nomen amplioveque dignitatem consecuta sit.* His omnibus hunc Dialogum etiam addes, in quo Lippus tantorum virorum actiones, non minus quam cæteri narravit incorrupte.

ut ego Cosmi, sic tu Laurentii clarissimi & Civis, & Viri imaginem vere, ut soles, mihi expresseris. *ALE.* Cave tibi persuadeas; per brevi temporis spatio; unico spiritu; minima commentationis particula unam; aut ad summum alteram plurimarum illius actionum; ne dum integram vitæ seriem attingi posse: esset enim hoc plurium vigiliarum; consumatæ eloquentiæ; exactæ prudentiæ munus, eoque tuam ipse providentiam; & modestiam magnopere sum demiratus, qui rerum suavitate; personarumque dignitate adductus, Divi illius Cosmi laudes numero infinitas; dignitate clarissimas; diuturnitate perpetuas; utilitate uberrimas attigeris; nisi tuam forte inchoati sermonis cursus mentem, voluntatemque eo perduxit; unde pedem referre haud facile potuisses. Quod si a me hoc ipsum præstari cupis; præstabo quidem libenter, sed ea sermonis lege; ut non tanti viri, ac Divi potius imaginem aut effingi; vel exprimi; aut designari; sed quasi præciosissimam suppellectilem explicari; spectandamque proferri arbitrare. Dico igitur eum Civem; eum Virum; eum Principem extitisse Laurentium; cuius liberalitatem; ac munificentiam privatim; ac publice ad nostram hanc tempestatem senserit Florentia; ingenii dexteritatem perspexerit Etruria; Urbs hæc prudentiam spectavit; consilium Neapolis obstupuerit; solertiam Insularia; atque Venetia cognoverit; animi præstantiam Gallia perspexerit; sapientiam denique Germania audiverit; Hispania intellexerit; Britannia perceperit; & cunctas simul virtutes; universas actiones; nostra non minus ætas observet; quam illorum temporum homines obstupuerint; quibus non modo patriæ salutis; dignitatiq; sed totius Italiæ quieti; vel

vel (ut verius dicam) communi Christianorum tranquillitati fuisse & longissime prospectum; & sapientissime consultum videmus. *ALB.* Ut vere, ut apposite; ut distincte divinas Laurentii virtutes attigisti; præclarasque actiones innuisti; eandem ego hujusmodi consilii rationem Cosmi laudes ingressus: neque enim ignorabam non unius diei; fortuitique sermonis; sed plurimorum mensium; exactæque historiæ munus fore; aperui tamen perennes illos actionum fontes; unde incredibilis optimarum rerum ubertas profluxisse; emanasseque ad posteros videretur; tum ut proposito utriusque Principis exemplo; & præsentis; futuræque tempestatis homines inflammarentur; tum ut præclare cum Florentiis actum esse ostenderetur; qui publicæ salutis; dignitatis; pacisque auctores recuperarint: Quod quidem ex ipso etiam ingressu licuit intueri: Quid enim salubrius; quid dignius; quid pacatius exoptari; ne dicam sperari a severissimis etiam rerum æstimatoribus potuisset; quam integrum Civitatis corpus non perturbari? liberam Reip. formam relinqui? inimicis; atque malevolis veteres; recentisque injurias condonari? similitates componi? discordias sedari? iustitiam; ac fidem servari? liberalitatem; ac beneficentiam in plurimos exerceri? Consecuta sunt hæc omnia (52): nam præter insperatam illam Præsidionem; ac repentinas militum excursiones; quibus etiam quantum Legatus animo; atque ingenio valuit; & in ipso periculo occurrit (53); & cunctas oppidanorum calamitates; nec paucis; nec minimis beneficiis re-
crea-

(52) De his omnibus prolixè *Nardus Hist. Flor. lib. VI.*

(53) Defensam tum præcipue a Cardinale Fœminarum honestarum pudicitiam *Guicciard. lib. XI. & Jov. in Vita*; magna cum ejus laude commemorant.

creavit, quid seditionis, quid servitutis, quid vindictæ, quid simultatis, quid inimicitæ, quid superbæ, atque perfidiæ, quid denique tenacitatis, & avaritiæ est consecutum? In ipsa profecto civitate diversæ factionis neminem amplissimo pietatis gremio non excepit, fovit, ad tollendaque intestina civium odia mitissime provocavit, gladiatorum licentiam, ac vindictæ impunitatem sustulit, leges, judicia omnium ordinum civibus tribuendum, servandumque proposuit. Ita enim præclaram & Cosmi, & Laurentii memoriam revocari, decus, ac laudem in perpetuum propagari, Florentinæ Reip. opes, copias, ac dominatum ipsum augeri, sibi, ac suis quietem, tranquillitatem, auctoritatem & facillime comparari, & comparatas firmissime retineri arbitrabatur. Nam ut superbia, immanitas, perfidia, avaritia stabilem quandoque Principatum evertunt; sic æquitas, clementia, fides, beneficentia imbecillum sæpe confirmant; quo quidem consilio a Medicis & in toto, & servato, firmissimam non solum Etruscæ tranquillitatis, sed totius Europæ, & Religionis, & Imperii jacta sunt fundamenta, quibus tutissimum in terris portum ædificaretis, ubi exagitata jam pridem fluctibus Petri navicula nullo periculo permaneret. *ALF.* Hoc nostris jamdiu animis conceptum, consiliis pensitatum; sententiis discussum, suffragiis deliberatum, omnibus denique studiis confirmatum statuimus, atque decrevimus. Nihil enim aliud indictæ Lateranensis Synodus, missi ad Christianos Principes nuncii, quæsitæ inter omnes, sed inter Venetos præcipue, Germanosque concordia (quod recte nosti) nil cuncta Senatus-consulta ad Ecclesiæ unitatem, pacemque pertinentia designarunt, ac exegerunt. Erat quidem nobis in animo Senatoriam digni-

gnitatem, auctoritatemque, & nonnullorum discordia, & nimia dominandi libidine imminutum non minus apud exteras gentes, ac nationes, quam in hac ipsa urbana luce integram restituere, Italiam omnem exactis factionibus pacare, debitam Sedi Apostolicæ observantiam, ac reverentiam reformata vivendi norma comparari; Germanos, Gallos, Hispanos, Britannos extinctis bellorum incendiis, sublatisque simultatibus ad recuperandum Asiæ, atque Africæ Imperium & Turcis, Maurisque pessime occupatum, & acerrimis verborum stimulis excitare, & præclaris exemplorum testimoniis inflammare; unum hoc agitabamus, unum hoc meditabamur, hoc, inquam, unum a nobis suscipiendum, gerendum, perficiendumque firmissime proponebamus. Aspirabas saluberrimo consilio Deus; succedebant Christianorum Principum vota. Molliores se aliquanto iratorum animi ad communem concordiam exhibebant; cujus quidem rei spem, quum tua præ cæteris industria, solertia, fides, constantia, integritas enituerit, non minima ex parte tibi acceptam referri posse arbitrabamur; quippe cujus consilia, dicta, responsaque, dum utriusque Legationis gessisti munus ad communem Italiæ quietem, ad firmissimam Europæ pacem, ad pulcherrimam Sedis Apostolicæ dignitatem, ad præclaram Christianæ Religionis propagationem, spectarunt. Missam facio in præsentem Gallicam legationem abs te prudenter susceptam, integre administratam, sapienter omissam; quidnam in Germanica, quam prudentius, ac firmitus quotidie geris, ut inchoatum pacis, & concordia opus perficeres, unquam fecisti reliquum Maximilianum animum tum a Germaniæ Primatibus, tum vero a Gallorum Legatis amplio-

plioris spe dominatus, plurimisque muneribus acerrime oppugnatum ad Pontificis voluntatem, hoc est ad tuendam Apostolicæ Sedis auctoritatem præter omnium hostium expectationem tam facile traduxisti, ut Christianorum omnium oculos, animosque in te unum converteris: quod Matthæi Præfulis Gurcensis (54) a nostris consiliis, ut ferebatur, alieni ad urbem adventus, compositæ cum eo percutiendi fœderis conditiones, ac fœdus ipsum cum Pontifice initum, & in Almæ Virginis Populi nuncupatæ promulgatæ æde, & Ægidii nostri (54) ad id munus Pontificis jussu, hortatuque tuo delecti gravitate, & copia VII. Kalend. Decembris pulcherrimè honestatum verius confirmavit. Sed non multo post consecutus est Julii II. obitus, quippe qui nostra consilia, nostras deliberationes, actionesque perturbaret: erat enim ambiguum, quorsum futuri Pontificis creatio evaderet, armis ne resgeri, an, ut consuevit, Patrum suffragiis posset, vel his, quas supra recensuimus causis, vel absentium diversæ factionis Patrum suspi-

(54) Matthæus Longius, seu Longus ab Welemburg a Julio II. purpura donatus anno MDXI. Episcopus Gurcensis, Diaconus Cardinalis S. Angeli in foro piscium, & Maximiliani Imperatoris à penitioribus consiliis, vir singularis prudentiæ, & magnæ apud omnes Principes auctoritatis: de cujus in urbem ingressu, ac de integra ab eodem initi fœderis ratione vide *Guicciard.* lib. XI. qui cum Lippo adamussim convenit.

(55) Ægidius Viterbiensis Eremitarum Magister, quem postea in Cardinalium ordinem Leo X. legit, *Theologiæ doctor*, & ornamento a Jov. dictus; præter innumeras animi virtutes, quibus eminebat, eloquentiæ præsertim laude clarissimus extitit *Oldoinus in Athen. Rom. & in add. ad Ciac. Sadoleus Epist. ad Bembum*, qua illi mittit orationem ab Ægidio habitam in Later. concilio: & omnes passim Augustiniani Ordinis Scriptores. Oratio autem, qua initum fœdus celebrasse Lippus tradit, ejus operum catalogo merito addenda erit.

cione (56) ALB. Fuit profecto fuit maximum Christianæ Reip. discrimen, quod non casu modo, sed discrepantium hominum judicio conflatum & Imperium, & Religionem concusserat, cui quidem siquam ego ferre opem, quam sentio fuisse nullam, siquid hisce malis remedium adhibere, quod sane minimum peraspicio, siquid denique & animo, & ingenio præstare potui, quò utroque valere me non multum fateor ingenue, tam est mihi jucundum ac potius gratum, ut neque jucundius, neque gratius esse quidquam possit; tum quod memorabile in primis beneficium videri potest, & exemplum posteris imitandum, orthodoxam Religionem, amplissimos ejus Gardines unicum in terris non Imperatoris alicujus, sed Dei Optimi Vicarium honestiori aliquo officio, vel prompti saltem animi testimonio demerere; tum præcipue, quod hoc non improbi munus Legati ipse mihi persuadeo, ut quantum humano ingenio præstari possit, simultates tollat, suspiciones comminuat, pacem, ac amicitiam omni studio conciliet, optimam rerum, causarum, personarum, temporum habeat rationem; tum denique quod ea ipsa disciplinarum studia, quibus a puero insudavi hanc mihi legem, normamque præscripsisse videntur, ut in omnibus consiliis, in cunctis actionibus & Deum ipsum, & divini cultus moderatores colam, atque observem. Quapropter nihil est, quod meam indolentiam, operam, vigilantiam, commendes: siquid homini natura, necessitas Christiano, ratio non igna-

(56) Nam metus suberat, ne, Julio defuncto, fœdosi Cardinales Pontificatum sui muneris facere aggredierentur, quasi synodi auctoritate ad ipsos eorumque jus recidisset, certe comitiis Pontificiis interesse vellent. *Old. in add. ad Ciac.*

to, usus humanarum rerum periculis exagitato præscribit, non prætermisi: quod autem (ut unde digressa est regrediatur oratio) in ipso Senatoriæ auctoritatis in integrum restituendæ, Italiæ totius pacandæ, Sedis Apostolicæ ubique gentium observandæ, Christiani denique Imperii a Turcis, Maurisque occupati in veterem libertatem, dignitatemque vindicandi primordio, vestrarum cogitationum, actionum, consiliorum Austorem, Ducem, Moderatoremque amiseritis, graviter, molesteque tuli; sed quum rerum initia, progressusque mecum animo revolverem, id non fato, Philosophorum ritu, sed Dei unius voluntati, nutuque tribuebam. Ut enim plurima nostris animis iuncta, atque facilia, illi autem & molesta, & difficilia, sic non pauca nobis aspera, atque acerba, lenia illi, maturaque judicantur; quod ipsis plerumque periculis, atque negotiis compertum est. Sustulit e medio Julium Deus non quidem ut concordiæ, ac pacis initia perturbaret, sed ut molliorem progressum, ac faciliorem cœptis exitum suppeditaret: siquidem ea ratione, eo, inquam, ordine progredi res cœperat, ut divinam nostris calamitatibus adhibitam fuisse opem luce clarius intueremur; nec minus spei defuncto, quam superstitie Julio, propter eam, quæ consecuta est & tempestatis, & Principis dissimilitudinem conciperemus. Celebrabatur jam frequentiori & præfulum, & Legatorum conventu indicta Synodus jacta erant firmissima exoptatæ rerum, locorum, personarumque reformationis, ac suspiratæ ubique gentium pacis fundamenta: ad hærebant Synodi decretis Hispani, (57) favebant

(57) Mandatum Hispaniæ Regis fuit prolatum Sess. 17. Hieronymo de Vich. ad Concilium Legato, damnato ab eodem rite Cardinalium pseudocœnventu.

bant Anglici, aderant Pannonii, expectabantur in dies Sarmatæ; assistebant plerique Italiæ Populi, quum sua postremo Cæsar auctoritate, quæ summa est, benignissime assenserit: convenit enim eo, confirmatis initæ pacis conditionibus, Matthæus præsul Gurcensis Cæsareus Procurator (58). Quo tanquam postremo vitæ actu constantissime celebrato, intima correptus febrilectulo accubuit (59). Et quamquam paulo post sibi vitæ finis adesset; qui alios commoveret, nonnullos consternaret, plurimos variis affectibus sollicitaret, in gravissima tamen effecti corporis valetudine, in summa & aulicorum, & civium commotione, in magna animorum consternatione, in mirifica ingeniorum sollicitudine habendam sexto ante obitum die (60) postremam Synodum frequentissimo Patrum conventu diligentissime procuravit. In qua quidem fuere cum alia plurima, atque pulcherrima ad reformationem, pacemque pertinentia discussa, ac instituta; tum illud in primis opportunum, salutare, maximeque

G 3 que

(58) Immo ob ejus adventum prorogata fuit Sess. 111. ad tertium nonas Novembris, in qua omnia Pisani Concilii acta, & agenda irrita nomine Cæsaris declaravit. Vide Labbeum Sess. 111. Lateranensis hujus Concilii & Guicciard. lib. XI.

(59) Quidquid moriens ad Ecclesiæ dignitatem strenuus hic Pontifex enixe procuraverit, recole præcipue apud Giac. in ejus vita; apud Senaregam de rebus Genæen. ad annum MDXIII. & Guicciard. lib. XI.

(60) Ergo IX. Kal. Martii Julius decessit nam XIII. Kal. ejusdem mensis Sess. V. celebrata fuit, ut initio ipsius deprehenditur. Verumtamen in fine ejusdem sess. V. hæc habentur: Anno a Nativitate Domini MDXIII. indic. I. die..... Luna XXVI. Februarii Julius Papa II. Romæ..... ex hac luce migravit. Sed ibi mendii suspensionem inesse putat Victorellus; nam in compendio, inquit, verum ejusdem Concilii legimus Julium obiisse die XXI. Februarii & ita Guicciard. lib. XI. & Paris Crassus in diariis quorum opinio Lippi etiam testimonio confirmatur.

que necessarium tollendæ in perpetuum largitionis, quæ omnium animos, ac mentes occuparat, quæ Sedis Apostolicæ dignitatem, auctoritatemque magna ex parte apud exterarum nationes imminuerat, ac libefactarat, decretum promulgatum (61), maximoque omnium assensu est comprobatum; quod tanti apud omnes momenti, ac ponderis fuit, ut iratorum Principum animos leniret, improborum cogitationes prosterneret, bonorum mentes alliceret, certissimamque statuendæ inter Christianos concordiæ spem afferret; mihi vero, & Christiano, & genere non prorsus obscuro, & indigno Cæsaris Legato, & communem totius orbis, ne dicam Italiæ pacem exoptanti gratius afferri nihil potuit. Exauditas jam fuisse castas, integrasque optimorum virorum ac Sanctissimarum Virginum preces firmior aliquanto spes subiit: sed tibi longe gratissimum, multoque acceptissimum esse debuit, cujus ordinis tantum auctoritatis, ac dignitatis esse additum sentis, quantum multis jam annis sperasset nemo. *ALE.* Delectavit me supra quam dici posset ab initio sermo iste tuus leporis, ac elegantix plenissimus, novissimus autem, ut ingenue tecum agam, prorsus affecit non modo nitida ejus gravitate, & copia, sed incredibili in Apostolicam Sedem observantia, inauditoque Religionis, ac Fidei nostræ servandæ tuendæ, ac longe lateque propagandæ studio, quo te inflammatum perspexi, quum & cætera omnia Lateranensis Concilii decreta, &

(61) *Bulla, ut dicitur in ipsa scilicet. V. Innovationis, & Confirmationis constitutionis contra Simoniacam pravitatem in electione Pontificis non committendam, quæ incipit, Cum tam divino, quam humano jure &c.* Hanc evulgavit Julius dum esset Bononiæ; quam postea iterum firmari curavit in scilicet. V. hujus Lateranensis Concilii, sed vide integram constitutionem, cum iis quæ sequuntur.

recentissimum delendæ ambitionis diploma magnopere commendaris, tibi que fuisse gratissimum non vultu solum, & verbis, sed re, ac sententia sapissime declararis. De nostri autem ordinis alacritate, atque lætitia quid dicam necesse est? tantam enim, & tam solidam extitisse existima, ut nec majorem, nec solidiorem vel tu mente concipere, vel ego verbis possem exprimere. Fuit quidem illud sine controversia decretum facillimum ad pristinam auctoritatem, ad existimationem, ad vitam bene, beateque degendam, ad quietem, ac pacem inter Christianos firmandam aditus. Etenim memoria fidelissime tenebamus, veterem illam nostri ordinis in sententiis dicendis, in amicis, clientibusque sublevandis, in cunctis denique rebus privatim, ac publice peragendis auctoritatem jampridem fuisse debilitatam, ac potius extinctam, præclaramque integritatis, doctrinæ, religionis, pietatis, æquitatis, beneficentiæ, constantiæ, modestiæ, continentiæ apud exterarum nationes opinionem jure optimo obscuratam, quod nostro exemplo non minima esset largitionis, ac turpissimi cujusque quæstus licentia, immo magna flagitiorum, atque facinorum impunitas; unde tale incommodum, ac detrimentum, tanta pernicies, tam extrema rerum omnium calamitas emanarat, ut nos, qui universis Christianis Principibus lucem, ac præsidium afferre solebamus, eorum ipsorum splendore, & gratia egeremus; Nos, qui belli, pacisque æquas, iniquasque Regibus conditiones præscribebamus, nobis ipsis bellum inferri, ac pacem præscribi summa cum ignominia pateremur; nos, quorum existimatio exteris nationibus, ac civitatibus reverentiam, ac terrorem incutiebat, in nostris sedibus, ac domiciliis (quod non sine dolore, ac lacrymis

proferre possum) a nostris domesticis, a viduis interim operariis, ac viatoribus ludibrio haberemus; nos, qui nostra auctoritate depressos erigere, perditos recreare, obscuros illustrare praesentes, absentisque facile poteramus, ne amicorum quidem, clientumque nostrorum cuiquam adesse, ac benigne facere valeremus; nos denique, qui per nos ipsos privatis opibus, & copiis nostri animi, ingenii, iudicii, plurimis, ac honestissimis rebus, personisque vires offendere valebamus, ita exhausti, attriti, debilitatique judicaremur, ut non dico pleaque pietatis, ac beneficentiae munera viventes, mortuique omitteremus; sed nostram quoque dignitatem, ac personam aegerrime tueremur. Quae quidem omnia dignitatis, opinio- nis, & famae discrimina nullo alio quam teterimae largitionis vitio arbitror incidisse: eoque maturum creandi Pontificis consilium, vel mediocris prudentiae nemo improbare potest. *ALB.* Immo vero, si quis transactis rebus praesentes, praesentibus autem adjunget, atque annectet futuras, nemo celerrimam (62) Pontificis creationem non comprobabit, ac summis ad Coelum laudibus extollet; magna enim senatorio ordini, ut ipse mihi perspicere videor, in sententiis dicendis libertas, summa in amicis, clientibusque & fovendis, & sublevandis copia, optima integritatis, ac innocentiae apud externos fama, mirifica conciliandae inter Christianos Principes amicitiae auctoritas est consecuta. Quapropter nequeo vestris consiliis, ac suffragiis ex animo non gratulari, non modo

(62) Vix. XVIII. diebus lapsis a morte Julii II. creatus enim fuit Leo. 5. Idus Martii anno MDXIII. ut *Pann. in Chron.* & in vita, & Pontifex ipse praeterea literis ad Interamenses datis ibi: Nos: V. Idus Martii in Sponsum Pastoremque Ecclesiae suae Sanctae unanimi voluntate elegerunt.

do quod Defuncto Romano Pontifici mature alterum suffeceritis, quod in tanta gerendarum rerum mole, in tam periculoso orthodoxae Religionis, communisque Imperii discrimine, ut necessitate optari, sic multiplici temporum, ac tempestatum varietate omnino poterat desperari; sed quod eum integerrime suffeceritis, qui nihil Senatorio ordine venerabilius, nihil existimatione optabilius, nihil Sanctissimae vitae norma gloriosius, nihil, inquam, pace, & concordia praestabilius adversis, secundisque fortunae flatibus didicisset. Quandoquidem has habet vices mortalium conditio, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda sapientius gubernentur. *ALE.* Istiuc ipsum nobiscum animo revolventes prospeximus, ne in summa Pontificatus, candidatorum, qui virtute, doctrina, opulentia, gerendarum rerum usu, fatione, ac reliquis omnibus naturae, fortunae, studii muneribus acerrime nitentur, diffensione, prorogatio, & mora imminente, & prope jam praesenti rerum necessitati plurimum periculi afferret. Itaque in exoprando Christianae totius Reip. spiritalisque militiae duce, ac moderatore, haec in primis exquisivimus, exquisita discussimus, discussa contulimus, collata omnibus studiis, ac suffragiis comprobavimus: perspicuam, vel non minus obscuram familiae nobilitatem, summam ingenii mansuetudinem, verum animi candorem, magnam iudicii dexteritatem spectatam vitae integritatem, plurimum utriusque fortunae periculum, incredibile tranquillitatis, & concordiae studium inesse oportere. Quibus quidem omnibus optimam salutis, ac dignitatis honesto otio, praclaroque negotio habitam esse rationem constabat. Nam genere nimis obscuri superbe, impotenterque dominantur, ingenio

varii, animo subdoli, iudicio inepti a minimis maxima non dispiciunt; excitant simultates; commissum sibi imperium, vel per se dissipant, vel dissipandum aliis permittunt, vitæ fordibus inquinati improbis præmia, probis supplicia decernunt; alteram semper fortunam experti alterius vim vel timide propulsant, vel temere suscipiunt, discordiis postremo, & simultatibus enutriti ipsum pacis, & concordiæ nomen obtusis auribus, atque adversis animis patiuntur. Quarum quidem vitæ conditionum propriis periculis non ignari, ad ejus creationem plerique desleximus, qui nostro ordini acceptus, exteris nationibus innoxius, virtutum splendore illustris, componendæ pacis avidus, plurimis gerendi Pontificatus muneribus adornatus maxime videretur; quippe cujus nutu, arbitrioque cogitationum, actionumque nostrarum ratio, omnium Civitatum, Provinciarum, Regnorum, cunctarum gentium, ac nationum, totius terrarum orbis administratio subiceretur; maria, terræ, pax, bellum, regeretur, quodque multo præstantissimum censeri debet, cujus ductu facillimis ad Cælum gradibus evaderetur. Excelluit enim aliquis, majorum titulis, ac imaginibus; sed illorum splendori vel animi, vel ingenii caligine tenebras obduxit; præstitit quidam animo, sed torpuit ingenio; enituit aliquis in sacris, profanisque ædificiis, in urbe locupletanda, in otio persfruendo, in cæteris omnibus pacis, ac togæ ornamentis; sed illatas Ecclesiæ injurias, occupatas possessiones, imminentes Turcarum imperus, gravissimum servitutis jugum bello, armisque propulsandum contempsit; reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: iste quaesitam domi gloriam, foris; hic foris partam domi amisit. Postremo patrum nostrorum,

ac nostra etiam memoria nemo adhuc extitit, cujus actiones vel privatis, vel publicis in rebus, sive domesticis, sive externis, aut propriis, aut alienis nullo vitiorum confinio læderentur: hoc est, ut nec humanitati mollietates, nec frugalitati avaritia, nec liberalitati luxuria, nec clementiæ levitas, nec severitati crudelitas, nec labori rusticitas, nec continentiæ simulatio exprobrari a malevolis, atque obtractatoribus (late enim patet hoc vitium, & est in multis) temere posset; sed in eo rara virtutum concordia, admirandusque actionum concentus vel severissimi cujusque iudicio cerneretur. Non libet in præsentia præteritorum temporum statum deplorare, ne fortuitam commentationem voluptatis, ac lætitiæ plenissimam mœrore, & mœstitia conturbemus; illud enim re diu multumque perspecta, & cognita affirmare non dubitabo, magnam recuperandæ Senatoriæ auctoritatis, illustrandæ apud externos famæ, communis vitæ a fordibus vindicandæ, pacis, & concordiæ in urbe, in Italia, Gallia, Germania, Hispania, Britannia, inter Christianos omnes supraquam optari poterat ocuis componendæ spem novissima Pontificis creatione nobis esse conceptam; quippe qui eos referre majores verissime potest, in quibus ut nihil obscuri, nihil fordidi, nihil abjecti, nil denique fucati potuerat deprehendi, ita quidem omnia splendida, munifica, magnifica, recta, ut ipsi dudum attigimus, clarissimi quotidie extiterunt; ea est ortus Etruriæ civitate, quæ tum per se justitiæ pietatis, integritatis privatis, ac publicis in rebus servatæ non obscura præbuerit testimonia; tum vero a Medica Familia, quæ pacatissimum in ea, diutissimumque gesserat principatum, plurimis, atque clarissimis virtutum omnium ex-

emplis, ac institutis fuerit informatus educatus, ac eruditus non quidem ab agresti, imperitaque pædagogorum multitudine, sed a præstantissimis cujusque virtutis, ac doctrinæ viris (63), non in obscuro aliquo Etruriæ oppido, sed in celeberrimâ urbe, in qua omnis bene, beateque vivendi norma, omnis optimarum disciplinarum perceptio, ac institutio florebat; & quamquam in summis opibus, & copiis, magnisque domesticorum blanditiis educaretur, divina tamen Laurentii Parentis sapientia, nihil quod ad acerrimum excolendi animi, ac erudiendæ linguæ studium pertineret, ommissum fuit (64); ne is, qui unius non dico Civitatis, ac provinciæ, sed totius Italiæ, & præsentium, & posterorum ingenis sapientissime consulebat; suæ domui, propriæ posteritati, immo, ut postea compertum est, Medicorum omnium præsidio, ac ornamento minimam adhibere industriam, ac sollicitudinem videretur, & quam ipse posteritatem amplissimis opibus locupletabat, pulcherrimis honoribus, præstantissimi-

(63) Angelo nempe Politiano, & Bernardo Michelotio, viris græcis, ac latinis literis eruditissimis: videndus omnino *Fridericus Otto Menckenius Historia Vitæ Politiani pag. XCVII.* quibus Demetrius Calcondiles, & Urbanus Bellunensis Ord. Min. D. Francisci ab *Old. add. ad Ciac.* in Innoc. VIII. & a *Papyrio Masson. in Leone X.* adduntur.

(64) Ita cum reliquis *Pavv. Paris*, inquit, *doctissimi, & gravissimi Civis cura a teneris annis bonis moribus ornatus, & optimis disciplinis, latina, græcæque doctrina, musica etiam instructus.* Juxta Platonis Mentem, qui lib. II. de Rep. explicat quomodo sint instituendi, qui Remp. aliquando procurabunt, in Gymnastica nimirum, & Musica: utrumque lib. III. declarat, & Musicam dicit conferre animis ad virtutem formandis de optimis Leonis moribus in adolescentia præ reliquis fidem facit ipse Laurentius Pater in Epistola ad eundem Cardinalem Creatum, a viro Doctissimo Hieronymo Tagliazzuchi recens edita in Tom. II. collec. operum solutæ orationis, ad usum Scholarum Subalpinæ Italiæ pag. DCCLXXXIX.

tissimisque dignitatibus exornabat, firmissimis Principum amicitiiis muniebat, nullo, vel certo minimo animi, atque ingenii cultu decoratam perexiguo virtutum comitatu, ac præsidio munitam, obscuro admodum disciplinarum lumine illustratam relinqueret. Ea tempestate ad Senatoriam est dignitatem ascitus, qua, tum ætate ad optimi cujusque præcepti, exemplique perceptionem aptissima (65), tum vero temporum, ac Principum varietate, qua innumerabilia & maxima, & domi, & foris exempla acciderent, summam judicii integritatem, ac perfectam consilii maturitatem sibi gradatim potuit comparare. Nam, ut ea non commemorem, quæ domesticos intra parietes a Laurentio Patre præclaro nostræ tempestatitis, ac multorum antea seculorum & viro, & cive provisa prudenter, acta constanter, acute responsa, mature confecta quotidie ab ineunte ætate acceperat; an non ea tempestate ad urbem profectus est, qua Neapolitani cum Optimatibus belli Innocentii VIII. nutu, & gesti, & pacati exitus cernebatur (66), qua Senatorii ordinis complures summa prudentia, magna doctrina, plurimo rerum usu vivebant (67) qua ad eum ipsum, licet adolescentem & Patris

(65) Nam ab Innocentio VIII. adhuc adolescens, vix tum XIII. ætatis annum excedens Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Dominica pridie Idus Martii an. MCDLXXXIV. cooptatus fuit: *Pavv. Ciac. Politianus* Epist. V. lib. VIII. ad *Innoc. VIII.* data, qua gratias agit, quod adolescentem Reip. Florentinæ, ut ait, delicias supremi Senatus Collegio adscripserat.

(66) Propter ætatem diu urbe abfuisse, & ad eam accessisse paullo antequam Laurentius Pater excederet testatur *Pavv.* quo tempore Neapolitani belli, de quo supra memoravimus, exitum tandem fuisse Lippus asserit. Quare autem bellum hoc dicatur Innocentii VIII. nutu, *estum*, & pacatum mirifice explicat *Byrusus Hist. Flor.* lib. VIII.

(67) Recole Cardinalium Seriem sub Innocentio VIII. ante annum MCDLXXXIX.

tris existimatione, & recentissima Pontificis affinitate (68), & reconciliata Ferdinandi Senioris gratia (69); pleraque ardua Italiae negotia deferebantur. Adde; quod defunctis minimo temporis intervallo, & Patre; & Pontifice (70) sibi adjuncto, & Ferdinando Florentinis confœderato (71) non pauca belli, pacisque discrimina; maxima publicarum rerum pericula; gravissimos & regnorum, & civitatum motus cognovit. An totum illud exiti tempus, quo Italiam lustravit, Galliam adiit, Germaniam exploravit, alternam Romae fortunam quam sæpissime periclitatus est (72)? Acutissimas malevolorum injurias pertulit, inopiam sensit, amicorum perfidiam cognovit; objectas sibi calumnias diluit, mirificam denique privatarum, publicarumque rerum notitiam percepit; ad ea omnia, quæ in Pontifice exoptamus non plurimum credimus valuisset? Quid quod duorum quoque Pontificum ita

CO-

(68) Nani pace firmata cum Innocentio VIII. ejus Soror Magdalena Puella, ut inquit *Panv.* formosissima Francisco Cybo Pontificis Filio matrimonio juncta fuit.

(69) Siquidem post bellum a pactiana conjuratione ortum Laurentius Neapolim profectus Ferdinandi, qui Pontificis partem tutatus fuerat; gratiam, & benevolentiam sibi, & suis comparaverat *Brutus lib. VIII. Hist. Floren.* Vide etiam Epistolam ipsius Ferdinandi manu exaratam, & Laurentio missam anno MCDLXXXVI. apud Joseph *Blanchinum in lib. dei Gran Duchi della Toscana* pag. xx.

(70) Ambo eodem anno MCDVCII. excefferunt Laurentius III. Idus Aprilis annorum XLIV. Innocentius vero VIII. Kal. Augusti ætatis annorum LX.

(71) Fœdus a Laurentio, & Ferdinando istum intellige; quod tamen in ipso Caroli VIII. in Italiam adventu excitato tumultu a Florentinis ruptum fuit. *Comineus de Bello Neap. lib. I.*

(72) De ejus itineribus, & fortunis fuse *Old. add. ad Ciac. & Jovius in Leone X.* sed præcipue Petrus Alcionius in Dialogo *Medices Legatus* nuncupato de exilio, præfæto Pierii Valeriani libro de *Infelicitate Literat.* Lipsiæ anno MDCCVII. in forma octava.

comitiis interfuit, ut maximum unius animum, acerrimum ingenium, insectam in Columnnes, in Urinos, in Regulos, in ipsos Italiae Proceres una Borgiæ sobolis cupiditate in perpetuum extollendæ voluntatem a se nunquam alienaret alterius ea prudentia, ac modestia varios animi, atque ingenii motus est subsecutus, ut in sententiis dicendis, in gravissimis Christianæ Reip. rebus consultandis, ac deliberandis, non minima apud eum ipsum auctoritate, & gratia polleret (73) id quidem, præter cætera, difficillima primum; ac honestissima Æmiliæ, & Flaminia legatio, Etrusca mox illi adjecta, acerrimum recuperandæ Patriæ subsidium, honorificentissimum Pontificis ipsius & privatim in sermone quotidiano, & publice in Senatu de hujus integritate testimonium apertissime declararunt. An non hæc omnia, Senatoriæ gravitatis, integerrime apud externos famæ, spectatæ apud omnes vitæ, plurimæ rerum omnium peritiæ certissimam nobis spem afferre in exoptando Pontifice debuerunt. *ALB.* Ita profecto debuerunt, ac potuerunt, ut certiozem ego non exoptassem: fuerunt enim hæc verissima hujus Pontificatus integritate, justitia, concordia gerendi præfagia: neque enim verisimile fit, hominem avi-

(73) Hanc ingenii sagacitatem, qua Alexandri VI. Pontificis animum sibi conciliavit summopere laudet *Gregorius Cortesius*, postea Cardinalis, in quadam Epistola ad ipsum vix Pontificem designatum missa his verbis *Cum prætorca intæcor, quanta animi fortitudine, atque constantia paupertatem, diuturnumque exilium tolleraveris, qua prudentia errore fortasse aliquo gravem sibi adversarium Alexandrum P. M. eo deduxeris facilitate tua, & suavissimis moribus, ut non modo odium dissimulare vellet, sed etiam ad declinandam invidiam se tibi exeret habere amicissimum.* Comparatam vero sibi Julii II. benevolentiam, argumenta a Lippo nostro adducta, & aliunde omnibus testata satis declarant.

avitis, ac patriis laudum stimulis excitatum, pulcherrimo totius Etruriæ principatu exortum, Sanctissimis moribus, optimisque disciplinis educatum, ac institutum, præstantissimis honoribus, & dignitatibus honestatum, variis fortunæ flatibus exagitatum, nulla largitionis labe ad ipsum Pontificatus apicem nondum quadragesimo ætatis anno perductum, nostris optatis, ac votis, nostræ, inquam, spei, non cumulatissime responsurum. Ad hæc, celeberrimum illud e cunctis Pontificum nominibus exoptatum Leonis X. nomen, ac diei ipsius, quo creatus est, serenitas, atque alacritas nostram spem auget, conceptamque de illius creatione lætitiâ confirmat. Neque enim inditum sibi nomen a nostra memoria, nedum seculo remotissimum (74) urbis Florentiæ insignibus, ut vulgus existimat, sed integritati, mansuetudini, hospitalitati, prudentiæ, liberalitati, quibus quidem animi, atque ingenii dotibus novem reliqui ejusdem nominis Pontifices fuisse præditi memorantur, jure optimo tribuendum puto. Is præterea creationis dies ita serenus, tranquillusque illuxit, ut nec ferrior, nec tranquillior verno tempore exopta-

(74) Nam quatuor secula cum dimidio, & amplius a creatione Leonis IX. tunc lapsa erant. De assumpto autem Leonis X. nomine quisque diversas adstruere causas conatur. Putat *Ciac.* hoc nomine Pontificem appellari voluisse, ut insitam animo magnitudinem, clementiamque appellatione ipsa, & factis exprimeret, & ita *Jov. in Leone X. & Old.* add. ad *Ciac.* addentes insuper erudita allusione magnanimi cognomentum affectasse, duarum Superiorum sequutum exemplum, quibus *Alexandri, & Julii Augustissimi* nomina placuissent. Aliter sentit *Perrus Delphinus* in Oratione ad ipsum Leonem X. in Tom. III. veterum monumentorum *Martene & Duvand.* inditum nempe Leonis nomen, ut foret, quemadmodum scriptum est, *Sanctum, & terribile nomen ejus, Sanctum Fidelibus, & terribile infidelibus* &c. Sed quæ a Lippo afferuntur mihi magis probantur.

ri potuisset; quum integris mensibus Januario, & Februario imbres, procellæ, turbines nunquam destiterint. Ad hæc tanta omnium hilaritas accessit, ut plenissima utriusque sexus, cujusque ætatis, fortunæ, dignitatis, ordinis gaudia conspicerentur. Matronæ in templis, ac privatis ædibus, & Deo Optimo, & vestris suffragiis gratulari: puellæ matribus adesse, pueri exultare, adolescentes, ac juvenes gestire, senes deposita gravitate majorem in modum exhilarari, opifices, officinis occlusis, Leonem X. acclamare, domestica Medicorum insignia passim depingere, religiosi, literatique homines vultu, gestu, habitu, lingua voluptatem, ac lætitiâ attestari; quod per universam Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Britanniam per omnes terrarum orbis gentes, ac nationes, ad quas Christianæ Religionis fama pervenerat, ab ipsis etiam Principibus factitatum creberrimis literis, ac nunciis accepimus. Nam quum audirent ne minima quidem largitionis nota (75) creatum esse Pontificem, & eum maxime virum, cujus innocentia, atque integritas jampridem fuerat explorata, ac Sanctissimi illius Leonis nomen (76), cujus præcepta, & exempla ad posteros

EE lau-

(75) *Guicciard.* etiam lib. II. postquam hæc narraverit de Leonis X. Creatione, addit: *La quale aspettazione accrebbe l'essere stata fatta l'elezione candidamente senza Simonia, o sospetto di macola alcuna.*

(76) Divum Leonem Magnum Tuscum hujus nominis primum intellige: quem *Pauv. in Chron. Romanum* dixit, ut apparet etiam in ejus operis autographo, quod est apud me; sed Tuscum cum *Anastasio*, ejusque egregiis interpretibus Tom. III. de *Rom. Pontif. & Placina*, eum fuisse testatur ipse *Brandolinus* in Orat. ad Concil. Lateranense Leonem X. alloquens. *An non hæc a Leone habita Synodus (Chalcedonenensis scilicet) Lateranensis hujus, omni studio celebranda sibi normam, legemque præscribit? Quum Sanctissimum ejus nomen præ cæteris omnibus exoptasti, quum ea es gente, ac natione oriundus qua ille fuit?*

laudatissime pervenissent, tandem aliquando refectum, vestram cuncti auctoritatem, atque existimationem sperabant, suspiratam morum censuram concipiebant, exoptatam inter Christianos pacem hujus unius sapientia proculdubio expectabant. Occurebant enim cunctorum animis hæc simul omnia: parentum sapientia per univrsum orbem comparata, exactissima ejus ipsius vitæ norma, singularis uniuscujusque in eum benevolentia, ac observantia, durissima captivitas, divina libertas, recuperata civitas, creationis integritas multis jam annis desiderata: quæ, ut tunc præ difficultate, ac magnitudine omnium animos stupidos maxime detinuerunt; ita quidem paulo post novi aliquid, inusitatique, vel divini potius pollicebantur. Et profecto nos nec opinio, nec spes ipsa fefellit; earum enim rerum, quibus ipse dudum a vestro ordine fuisse consultum, prospectumque affirmabas, jacta conspeximus fundamenta; quæ tamen mihi non sunt porus ignota, ea tamen a te ipso illarum & particeps, & conscio singillatim cupio enarrari, vel, si hoc temporis angustia non permittit, innui saltem, ac designari. *ALB.* Quid enim ea tibi enarrem, ac explicem, quibus non interfuisti solum, verum etiam præfuisi? ut tuæ tamen obsequar voluntati ea repetam, non quidem studio memorandi (sunt enim recentissima, & novitate, ac magnitudine a nostris animis, ac mentibus non facile dilabuntur) sed communis omnium, ac tuæ præsertim lætitiæ uberius cumulandæ. Nos quidem eo collega ad Pontificatum promotus, castus, sanctus, ac Deo optimo, cujus vicem in terris eum gerere oportebat, simillimum creasse Principem, quo nec melius, nec præstabilius, nec opportunius tot tantique calamitatibus poterat exoptari, &

sen-

sentimus, & verissime perspeximus; qui se non orbis Tyrannum, sed verum Christi Vicarium, non nostri Regem, ac Dominum, sed Salvatoris exemplo ministrum, servumque arbitratum, ea sibi apud animum proposuit, quibus orbi, ne dicam urbi sapientissime consuleret. Itaque statim nostri ordinis sententiis exquisitis, creatum se Pontificem Principibus declaravit, singulis pacem, & concordiam suavit: utque illos non præceptis modo, sed exemplis etiam inflammiaret, tutum ad urbem adventum exulibus, hostibusque, abjectis armis permisit. (77) Qua re cognita Bentivolæ factionis plerique, qui se in intimas Galliæ provincias abdidderant, celerrime convenerunt. Nec Alphonsus Estensis, qui ad eum diem Ferrariæ oppugnationem, expugnationemque armis averterat, labore itineris superfedid (78). Confluxe-

H 2 re

(77) Excipe hoc loco nonnulla decerpta e mordacissimo quodam Dialogo *Simia* nuncupato *Andrea Guarna* Salernitani Cremonensis, atque eo libentius, quod adeo rarus factus est, ut *Arisus* ipse in sua *Cremona* liter. Tom. II. pag. xxix. fateatur, se frustra impendisse omnem diligentiam in ejus archetypo inquirendo: tamen extat typis editus *Mediolani per Magistrum Gotardum de Ponte* anno *MDXVII.* in forma, quam octavam vocant. Ibi itaque Divo Petro postulanti, qualem præcipue Leonem X. se ovibus præstet ita Angelus de Maximis respondens inducitur: *optimum quidem, atque ex ipsomet initio omnium mentes spe replevit bona. Primum namque omnium que gessit, inimicitias quascumque etiam privatas deposuit, & extinxit: extorres patriæ compotes fecit, bona restituit, cunctis pepercit, & ut de cæteris quieti, ac paci studerent universi edito præcepto saluberrimo. Cui Petrus: *Istud profecto pulcherrimum omnium pulcherrimum fuit, tunc maxime parcere, cum obesse posset maxime. Hanc una opera, & possessis suis tranquillitatem firmam, & sibi laudem peperit immortalam. Vera Leo meus celebratam illam majorem suorum clementiam refert.* De his Raphael etiam inferius meminit.*

(78) Nam Pontificis clementia adductus ad res suas componendas Romam venerat, ubi in ipsa Pontificatus pompa Romanæ Ecclesiæ Vexillum etiam prætulit *Jov. in Leone X. & Guicciard.* lib. XI.

re item alii, quos aut facinorum conscientia, aut periculi fuga distraxerat, omnes in fidem, gratiamque suscepit; cunctis pœnas remisit, universos denique fovit, ac recreavit. Urbis Romæ Optimates ad se vocatos, ut simultates, factionesque deponerent, ut latrocinia, parricidia, sacrilegia defuncti Pontificis decreto ab eorum oppidis, saltibusque, ne dum ab urbe ipsa prorsus arcerent, ut rerum omnium copiam servarent, justitiamque unicuique tribuerent, pluribus est adhortatus. Cujus rei causa falis vectigal, quod erat gravissimum, magna ex parte se illis remittere, vini, frumentique integrum condonare: Magistratus complures a civibus geri solitos, non minimo fisci, cujus nunquam nisi sub bono Principe utilitas postergatur, detrimento, gerendos omittere; modo copiam, concordiam, justitiam in urbe, in oppidis, in toto Ecclesiæ patrimonio diligentissime fervarent, servandamque procurarent, & Pontificia mansuetudine, facilitatque minime abuterentur (79.) Peractis deinde cunctis Pontificii diadematis cœremoniis, quibus quidem, ut optime perspexisti, non minus Religionis studium, ac observantiam, quam

libe-

(79) Ad perpetuam cum hujus, tum aliorum beneficiorum memoriam Populus Romanus marmoream Statuam Leonis X. in Capitolio dicavit (extat modo in Aula Conservatorum cum hac inscriptione.

OPTIMO PRINCIPI LEONI X. MED. IOAN. PONT. MAX. OB RESTITUTAM INSTAURATAMQUE URBEM AUCTA SACRA BONASQUE ARTES ADSCITOS PATRES SUBLATUM VECTIGAL. DATUMQUE CONGIARIUM.

S. P. Q. R.

qua occasione elegans oratio in Laudem Leonis X. ab *Anonymo* habita fuit, Romæ postea edita a Mainardo anno MDCCXXV. & ab *Abbate Ridolfino Venuzo* notis illustrata.

liberalitatem, ac munificentiam indicavit, ad ea se totum contulit perficienda, quæ a Christianis omnibus, ne dicam a Senatorio ordine expectabantur, ut præreptam nobis auctoritatem restitueret, deletamque existimationem ab interitu vindicaret (80.) *ALB.* Utramque vos video recepisse; sed quonam pacto recepistis plane ignoro. *ALE.* Quid ignoras facile enim tibi fuit initam utriusque rationem cognoscere. Nam, recuperata in dicendis sententiis libertate, restituta in gerendis negotiis fide; habita Pontificis gratia, retento pristino illo in fovendis, ac sublevandis hominibus Cardinalium ritu, servato animi candore, neminem ad extremum sua opinione, ac spe decepto, domi, & foris auctoritatem, existimationem utrobique fuisse receptam puto. *ALB.* Recte quidem dicis; & vere, & quantum mihi perspicere videor isthæc omnia adepti estis. *ALE.* Sumus plane, ut vides, nihil enim sentire quod non probemus, nihil probare, quod non sentiamus nobis necesse est. Quod quidem quum de primariis duobus (81) vel metu perterritis, vel animi inductione alienatis ad Senatorium ordinem restituendis ageretur, perspectum

H 3

(80) Sic etiam in eiti Dialogo præsequitur Angelus: *Post hæc*, inquit, *ad gregis curam* se totum vertit: auxit pabula, dilatavit stabula, eosque custodes ovibus dedit, qui illas tonderent, non degluberent, lupos fures catæraque ovibus inimica ita submovit; & exterruit, ut media etiam nocte, si libeat, in pascua tutè possint exire. Ad hæc exclamans Petrus: *oh Leonem verum successorum mei! quem si minus obtinere contigisset, necesse fuerat, ut ipsemet e Cælo descenderem in Terram in gregis curam!*

(81) Bernardino nempe Carvajali, & Federico de Sanseverino Pisani conventus Principibus, ut supra dictum est, de quorum restitutione a Leone X. in Cardinalium Collegio actum esse omnibus constat, magna quidem Patrum disensione; Mattheo Sedunense, & Christophoro Eboracense maxime adversantibus.

rum est; fuit enim ea in primis causa per-
 difficilis, & lubrica. Nihil praeterea vel nostra,
 vel aliena gerendum causa suscipimus ubi no-
 stram fidem, attestationem, nostrum, inquam,
 arbitrium non maximi apud Pontificem esse
 ponderis conspiciamus. Quod in complecten-
 dis Principum partibus, transigendisque illo-
 rum negotiis quotidie magis apparet. Gratiam
 vero tantam omnibus in rebus a Pontificatus
 primordio initam servamus, ut non solum au-
 la, cubiculum, auresque, sed voluntas etiam,
 atque animus unicuique facile pateat. Libere
 admittit, audit diligenter, neminem aspectu,
 ac vultu, ne dum convicio, contumeliaque
 deterret, nullum sermone, gratia, beneficio
 excludit: quae quidem omnia vel maxima sunt
 in causa, ut constanter patrocinia suscipiamus,
 susceptaque constantius explicemus; quae au-
 tem nobis suscipienda, explicandaque non cen-
 semus, ingenue detractemus. Unde ad exte-
 ras nationes ea tum nostrae consuetudinis, tum
 facultatis, tum vero Pontificiae voluntatis fa-
 ma pervenit, ut quod velimus facile posse,
 quod possimus omnino velle nemo sibi non per-
 suadeat. *ALB.* Agite igitur, utramque sustine-
 re, ac tuemini; nec nunc, dum maxime po-
 testis, pristinam in conferendis beneficiis vel
 tarditatem, vel imbecillitatem retinete: nam
 quod olim difficillimis Principum ingeniis ascri-
 bebatur, vestrae nunc vel negligentiae, vel in-
 curiae imputaretur. *ALE.* Neutrius accidet:
 nam, ut de me tibi polliceor, spondeamque,
 quando eo Pontificem animo, atque ingenio
 nacti sumus, quem divinitus Christianis con-
 cessum & debemus, & possumus affirmare, ni-
 hil honestius, nihil pulcrius, nihil, felicius ha-
 bito tamen rerum, personarumque delectu,
 quam opitulari pluribus mihi proponam. *ALB.*

Fa-

Facis ut hominem Christianum, ut amplis-
 simum Ecclesiae Cardinem, ut nobilissimum vi-
 rum, & qui non magis cognitione, & doctri-
 na, quam virtute, & moribus, optimarum ar-
 tium studiis ab ineunte aetate profecerit; fa-
 cis, inquam, ut eum facere decet, qui quasi
 conspicuum fidus & suo, & caeteris ordinibus
 possit clarissime elucere. Sed quando duo ex
 his brevissime attigisti, quae optimae spei praer-
 sagia extiterunt, perge, si placet, carptim re-
 liqua delibare. *ALE.* Ita faciam; sed hoc tibi
 in primis esse compertum velim, & auctorita-
 tem, & existimationem nostram (quam tula-
 cumque est) exactissima bene, beateque viven-
 di norma non contineri modo, verum etiam
 tum firmiter conservari, tum clarius illustrari,
 Quod quum Leo magna rerum, ac temporum
 varietate diversis fortunae casibus exagitatus
 proprio periculo didicisset, tres praeter caeteris
 pessimarum arborum plantas constituit uni sibi
 radicitus extirpandas: multiplicem avaritiam,
 foedam omnibus in rebus luxuriam, pernicio-
 sam denique imperitiam: Idque nostro tum in
 Senatu, tum vero Lateranensi Concilio pollici-
 tus, exoptatam, speratamque navare operam,
 atque industriam coepit. Secrevit enim nostri
 ordinis aliquos, quorum & animo, & ingenio
 plurimum tribuebat, illisque Magistratum
 emendationem, vel censuram potius demanda-
 vit (82). Nam, dum aulicorum nunquam ex-
 pletur, ac satiatur cupiditatis sitis, dum se-
 quisque largitione, & pretio altius evasurum
 sperat; dum pretiosissimam sibi comparat su-

H. 4.

pel-

(82) De hac Magistratum emendatione occurrit mentio
 in Sessione VI. ejusdem Later. Conc. in qua Leo X. integ-
 caetera, quae procuranda mandaverat, gravissimos in pri-
 mis Viros eligi curavit, quorum Censurae Magistratum,
 & Romanae Curiae emendatio sedulo commissa fuit.

pellectilem; dum summam auri, atque argenti vim congerit; dum argentea signa, dum aurea vasa, dum aulea auro, purpuraque intexta mercatur; dum superbe ædificat, laute epulatur; dum varias explet voluptates; dum suorumque posteritati longissime consultum cupit; nullum æqui, iniquive discrimen habet, acerrimo cumulandæ pecuniæ studio cruciatur, Magistratum ita gerit, ut extorquendis quovis jure, quaque injuria lucris totus inhæreat; auferat, eripiat, diripiatque, nec quantum sibi aut jure liceat, aut virtutum, ac doctrinarum meritis debeatur, dum Sacerdotium, præfulatumque animo conceptum & facilius, & maturius consequatur, secum perpendit (83). Sustulimus quidem nos in Pontifice creando pessimum largitionis exemplum, quod quidem ipse Leo ita firme, constanterque ad hunc diem servat, ut suoapte instituto omnes avaritiæ suspiciones, ne dum labes deleri, ac prorsus extricari velit. Limitatur uniuscujusque Magistratus quæstus; prohibentur rapinæ, largitiones

(83) *Impune, inquit he his loquens in Orat. ad Conc. Later. rapiunt Magistratus, jura, leges, judicia, non populorum salute, non commodo, sed privato lucro, ac pretio metiuntur: nocentissimos homines propter pecuniam capitali judicio absolvunt, honestissimos, ac integerrimos, indicta nonnumquam, atque incognita causa, condemnant..... sed quid Magistratum Prætorumque turpitudinem..... tantopere improbamus..... si illi ipsi, a quibus publicarum rerum administrationi præfecti sunt Magistratus rerum integritatis..... æquitatis..... ac innocentie vestigium servant: non decimas, portoria, tributa subjectis clementer imponunt, non exigunt moderate, non officibus mercedes, non militibus stipendia liberaliter persolvunt, non pauperum, orbisati, pudicitie consulunt..... innocios interim homines sine crimine, sine veste, sine accusatore, caeca, insanaque auri, atque argenti avaritia proscribunt, relegant, atque interim crudelissime extructarum necant: nullum apud eos jus, nulla æquitas nulla misericordia, nulla recte, fideliterque suadentium oratio, nulla gravissimorum auctoritas, ac sententia locum habet.*

nes tolluntur; nullum pro Sacerdotis pretium, munusve rependitur (84), merita virtutibus præmia tribuuntur, nil per injuriam, ac licentiam occupatur; quæ, quum a turbidissimis avaritiæ, ac luxuriæ fontibus profecta Mortalium mentes, voluntatesque inficerent, summò Pontificis labore, mira industria, incredibilique vigilantia non solum attenuata, ac immixta, sed deleta, & ut speramus, sublata procul dubio videri possunt. Atque hæc omnia non magis sapientissimi Principis voluntati, quam integerrimæ vitæ accepta referri debent. Nam, quod de terrenis Civitatum Principibus scriptum est a Platone: quales in Republica Principes essent, tales reliquos etiam cives esse oportere (85); in eo ipso, qui sit omnium civitatum, cunctarumque gentium, ac nationum, totius denique terrarum orbis habenas suo nutu, arbitrioque moderaturus verius comprobatur: quippe cujus vita censura est, & quidem perpetua; ad quam dirigimur, atque convertimur; nec tam imperio nobis opus est quam exemplo: melius enim homines exemplis, quam præceptis informantur: quæ hanc in se frugem præcipue habent, quod approbant, quæ percipiunt fieri posse (86). Nam, ut a nefario illo ambitionis crimine exordiar, unde pleraque animi vitia profisciscuntur, quod obsecro, Pontificis mandatum, quod edictum a sum-

(84) Sacerdotium nullum unquam venale proposuisse etiam Panv. in Leone X. testatus est.
 (85) Cic. ex Platone Epist. IX. ad P. Lentulum: *Erant præterea, inquit, animadvertenda in civitate, quæ sunt apud Platonem scripta divinitus: quales in Rep. Principes, tales reliquos solere esse cives.*
 (86) Sunt ipsa C. Plinii verba in Paneg. Trajano dicto, ex quo non pauca decerpit Lippus, atque huic Dialogo hinc inde ingeniose admodum interruit: Tritum est etiam illud Senecæ: *Longum iter per præcepta, efficax per exempla.*

a summis, mediis, infimis Magistratibus, a cunctis aulicorum ordinibus corruptelam penitus depulisset, si ille ipse per largitionem creatus, quod pretio comparasset cæteris omnibus venditaret? si plus apud eum pecuniæ studium quam integritas, plus perniciofa cumulandi cupiditas, quam religio valeret? Quis merus a rapinis, ac latrociniiis subjectos arceret, si quotidie rapi, extorquerique civium fortunas ab ipso etiam Principe conspiceremus? Quis terror nequissimos homines ab adulationibus, delationibusque amoveret, si adultores, ac delatores a superiore foveri, exornari, remunerarique liquido appareret? Quis denique stimulus ad modestiam, ad continentiam, ad mansuetudinem, ad liberalitatem, ad pietatem, ad religionem, ad cunctas denique virtutes mortale genus impelleret, si morosum, dissolutum, iracundum, avarum, impium, religionis contemptorem, ac nullo virtutum studio inflammatum Principem haberemus? Ex quo perspicuum est, optimi Principis disciplinam vivendi normam subjectis præscribere (87).
ALB. Dicitur hoc natura, monet ratio, suadet usus, sed vereor, ne summa Leonis X. integritas, singularisque mansuetudo, quæ exemplo magis, atque præcepto, quam terroribus, ac minis nobiscum adhuc agit, nostris flagitiis,

(87.) Idem in Orat. ad Concil. Later. *Cum dominandi sibi dine, delinquendique impunitate, incertus Gregi Pastor, ambiguus naviculae gubernator, simulatus commentitiusque sorvarum arbis moderator, vel armis, vel pessimis artibus comparatur; insurgunt sectæ, distrahuntur animi, occupantur ingenia, caligant oculi, obtunduntur aures, linguae acies hebetantur, promiscua humana, ac divina jura sunt omnia: Deinde ad Leonem conversus, nullam huic Pontifici labem, nullam notam, nullam largitionis suspicionem inuri posse affirmant, & in eum Reges, ac Dynastas oculos, atque animos consicere, ejusque exemplis institutisque quotidianam sibi Vitæ rationem præscribere.*

tiis, facinoribusque tollendis, vel saltem levandis opportunam ferre opem minus queat: ita enim mortalium animi omni sunt flagitiorum colluvie inquinati, ita concipiendis, perpetrandisque facinoribus affueti, ita demum profundo vitiorum gurgite suffocati, ut nullus præceptis, nullus admonitionibus locus relictus esse videatur. Idcirco ferrea potius virga tam pertinaces, ac effrænatos animos esse regendos, & (ut Prophetici utar verbis) tanquam vas figuli confringendos putarem (88). *ALB.* Maluit exemplis, quam suppliciis, beneficiis, quam terroribus, præceptis, quam edictis initum a se Pontificatum gerere; nam, dum in cunctos humanitatem, ac mansuetudinem ostendit, dum exules revocat, dum admirandum religionis studium declarat, dum reos clementia, egenos liberalitate, viduas, ac virgines pietate, & beneficentia, non quidem ostendendi, sed benigne potius faciendi causa profequitur (89), dum nec ventri; nec somno, nec ullis voluptatum illecebris vacat, tunc maxime seditiones, ac tumultus compefcit, vindictam prohibet, divinarum rerum negligentiam, ac superstitionem tollit, gladiatorum licentiam cohibet, largitionem, atque rapinam cohercet, incestus, stupra, adulteria, cæteraque id genus flagitii, facinoris, ac libidinis portenta, a suo animo, ab oculis, ab auribus procul abesse oportere tacitus jubet: & quod maxime hominum genus, quæ privatæ, ac publicæ vitæ forma, quæ morum disciplina sibi magnopere sit accepta suæ vitæ instituto, exemplo

(88) Psalm. II.

(89) Audi laudatum Old. *Sacerdotes quoque, inquit, & religiofos viros, & Sacras Virgines, quæ intra septa religiose pudicitiam custodiverint mensuris subsidii elemosinæ nomine juvabat.*

ploque declarat (90). Quod si hæc opportunè parum remedia ad eam vitæ normam exactissime constituendam, quam & optamus, & speramus omnes; esse conspiciet; pro mansuetudine severitatem, justitiam pro clementia suscipiet; nec sane patietur, quæ vulgo dicitur peccandi illecebra, delictorum impunitatem (91) latius emanare. Diversos interim defuncto Pontifici mores, diversaque retinet instituta, & si committere lucem tenebris licet; Numam reficit, vel eos potius Pontifices, qui æquitatis, clementiæ, pietatis, quam exilii, car-

(90) Non defuerunt tamen qui hujus Pontificis integritatem non levibus Contumeliis lacerarent. Omnium Princeps *Baleus* inter eos Hæreticos; quos *Protestantes* appellant, Leonem X. impium, & Christianæ Religionis irrisorem nefarie nominavit. *Suavis vero in suis Hist. Conc. Trident.* neque pietatem, neque religionem illi fuisse cordi dicere ausus est. *Teiserus* in add: ad Elog. Doct. Viri ex Thuani Hist. Collecta Tom. II. ait, Leonem X. ad alenda propria animi vitia profusam ejus liberalitatem convertisse. *Plessus* etiam, ejusque propugnator *River.* in Leonem pluribus invehit: quorum vestigiis inherentes alii pene multi Pontificiæ dignitatis hostes prodierunt: inter quos numerandus est qui noviter Gallico Seruone de *Pontificum Romanorum gestis* librum edidit Hæge Comitum, mendaciis, ut relatum est, plenissimum (neque nos illum adhuc inspicimus.) Sed quis credat quæ isti garrunt, & calumniantur in Orthodoxæ Religionis contemptum? At Lutherus tam dicitur S. Romanæ Ecclesiæ hostis Leonis X. Vitam *mundissimam, pudicissimam, candidissimam appellavit, famamque Vitæ ejusdem inculpasam dixit.* Ejus ad ipsum Leonem verba a Coquæzo in Antimoræo referuntur. *Plessærum* calumniarum aculeos in Leonem *Greterus*, cit. *Coquæzus*, & *Coeffeteau*, *Mysterium* Iniquitatis impugnantes retundunt: *Suavis* à *Card. Pallavicino* confossus est. Et *Balius ipse*, cæteroquin hujusmodi detractoribus amicus, cum varia in suo Dic. Hist. Crit. contra Leonem X. collegisset, hæc tandem fari coactus est: *Concluons que le devoir d'un bon juge ne permet pas de prononcer contre ce Pape, pendant qu'on n'aura pas de plus sûres dépositions.*

(91) Cic. pro Mil. *Quis ignorat maximam illecebram esse impunitatis spem?*

carceris, necivse exemplis Pontificatum gere re maluerunt. *ALB.* Utinam, Pater optime, isthæc vivendi formula, & ratioque & bonorum mentes confirmet, & improborum coerceat voluntates; nam præclare, tranquilleque nobiscum agetur, id ego quotidianis votis exopto; & hæc Principis normam, ac disciplinam, facillimum conciliandæ inter Christianos Principes concordiæ fore aditum puto. *ALE.* Sperare te dicas, ac certissime polliceri, non quidem putare: sunt enim alia præter hoc ipsum speratæ jam pacis prælagia, ut ego quidem existimo, veriora, adsunt, inquam, plura futuræ tranquillitatis testimonia. Nam, ut ea omittam, quæ de castissima, ac integerrima Principis vita, de animi magnitudine, de bonitate ingenii, de integritate judicii, extremis, ut ajunt, labiis delibari; nihil sibi magis proprium, consentaneumque arbitratur, quam plurimis rebus, honestissimisque personis prodesse. Nec sane ignaviam pro labore, inertiam pro solertia, luxuriam pro frugalitate, inscitiam denique pro peritia fovet, remuneratur, extollit: nullum est artis, nullum disciplinæ, nullum virtutis genus, quod sibi fovendum, remunerandum, extollendumque non constituerit. Convocat ingeniosissimos ex Etruria Architectos, invitat Pictores; Sculptores beneficiis provocat, ut inchoatam Principis Apostolorum molem (92) perficiat, ac picturis,

(92) Templum scilicet Vaticanum, cujus fundamenta in honorem Divi Petri Julius II. posuit, Leo vero X. profectus est. Hujus perficiendæ molis necessitatem Raphael exponit in *Orat. ad Conc. Later.* ita Leonem X. alloquens: *Inchoavit*, inquit, *magnificentissimam Principis Apostolorum, eadem Julius II. sed illam, usque longissimi temporis, plurimi laboris, inauditi sumtus opus nequaquam absolvit: eam tu non nisi divinitus ista*

ris, & sculpturis exornet: Musicos manu, voceque præstantissimos allicit: quippe quorum suavissimis concentibus (quod est honestissimum voluptatis genus) magnopere delectatur: Geometras, ac Arithmeticos bello; paceque opportunos admittit; Astronomos non contemnit; tametsi in gratiam illi amicorum, quam pro fiderum ratione sapius, & sentiunt, & divinant (93). Ingenuarum artium, ac utriusque linguæ sectatores, studiososque tam benigne, & tam ex animo complectitur, ut non modo vel Pio II. vel Nicolao V. (94), sed

cæ-

ætatē ad Pontificale Solum evectus ab illo inchoatam perficias tuum est hoc opus B. P. a te uno dejecta illius sacratissimi Templi sacella, nudasæ ara, squallentes Apostolorum, & Martyrum effigies, prostrati Sanctissimorum Pontificum tumuli, exturbati magnam ex parte parvies opem, auxiliumque deprecant, parem tibi, & posteris quandoque gratiam relaturi, tuum est hoc munus, tuum officium, tuus honos, tua laus, tua denique gloria nulla verustate, nulla injuria, nulla invidia unquam delenda; hanc tu, ut potes, ac debes, totis viribus amplectare, ut tuo stimulo, tuo inquam beneficio sacrorum edificiorum consemus, squalor, ac situs tollatur. Miram vero Pontificis sollicitudinem hujus ædificii dux potissimum testantur ipsius Epistolæ ad Raphaelem Urbinatem extantes inter diplomata Pontificis a Bembo edita. Suavis inde Leonem X. arguit, asserens ex Indulgentiarum concessione Hæresim Lutherianam pullulasse, & subsidium hoc ab exhausto prodigientia ipsius ærario inductum fuisse, sed ab hac etiam calumnia Leonem satis vindicat Card. Pallav. in Hist. Conc. Trid. cap. III. quem consule.

(93) Hæc etiam Guarna in cit. Dialogo, & Junier Bevoaldus in præf. ad libros Cornel. Tacit. Plura etiam innummata suppetunt a P. R. cusa, in quibus Leonis X. erga Doctos liberalitas explicatur. Celebris est illud Ægidii in cuius priorifacie Leonis effigies, in altera mulier numeros e sacculo effundens, & ille titulus Liberalitas Pontificia in ejus latere congeries instrumentorum musicorum, mitræ, pilei, corona, atque volumina impressa sunt. Sed vide *Molinetum*, & *Bonan.* de Rom. Pontif. Tom. I. pag. CXLVII.

(94) De Nicolai V. liberalitate erga literas fuscæ cum Placina

cæteris omnibus, qui multis jam annis clarissimi extiterunt, Pontificibus hoc uno liberalitatis, & magnificentiæ genere præstiturus videatur. Quam in præsentī behevolentiam dicendi peritis; quam sapientiæ Professoribus reverentiam habet? ut sub eo uno spiritum, & sanguinem, & patriam recepérunt studia, quæ temporum perversitas, bellorum varietas, Principum imperitia, averfusque illis animus relegarat, deprefferat, conculcarat? Cunctas rationis, naturæ, morum, humani, divini que juris, ac supremæ illius scientiæ, quam Theologiam vocant, peritissimos viros accersit, probat, honestissimisque stipendiis refocillat (95): quodque in primis est memoratu dignissimum, præstat quæcunque præcipiunt (96): & tantum

ina Scriptores reliqui. Franciscus etiam Philephus præf. in *Plutarchi Cherœnensis. Apophthegmata Læconica* Nicolaum velut innumicum literarum Patronum impense laudavit: sed non ita de Pio II. sensit, quin ejus sanctissimos manes infectatus est, oblatrans, *candore hunc fuisse stratorum, & quos ad emolumenta dabuisset, dignitatesque extollere, eos vel contempnisse, vel neglexisse*, ut ex Epistolis Papiensis colligitur, ubi gravis hæc injuria diluitur; & expresse in quadam Epist. Gregorii Lolii ad Papiensem data. Philephum præterea insimulat mendacii Vossius de Scient. Mathem. pag. CDXIII. ejusque insanam calumniam explodit Cl. Saxius in Hist. Typographica. Liter. Med. Tom. I. quibus Lippus addendus est.

(95) Scio nonnullos asseruisse, Leonem X. totum profanis literis deditum; Sacræ Theologiæ cultores neglexisse, quorum opinioni locus hic parum favet. Cæterum cum aliunde, tum ex ipsis etiam Cardinalium annalibus satis constat, Leonem X. in electionibus gravissimos Theologos purpura decorasse, & magni semper fecisse: celebriores recenset Blanchinius loc. cit. pag. xx.

(96) Huc fortasse referenda sunt quæ narrat *Old. in Leone X. Cardinalis* nempe Laurentii Puccii, quod *divini Juris esset peritissimus* fidem maxime implorare Leonem solitum fuisse, cui, ob ejus exploratam integritatem, libenter assentiebat. Hoc tamen frustra improbare conatur *Jac. Aug. Thuanus.* Hist. lib. I. Leonis & Puccii famam la-cerando.

tum viros in omni disciplinarum genere præstantissimos diligit, quantum ab illis quotidie probatur. Nec sane quisquam humanitatis studia profectus uberiores laborum, ac vigiliarum fructus sperat, quam qui hujus Pontificis mansuetudinem, æquitatem, clementiam, pietatem, munificentiam, cæteraque id genus animi ornamenta sæpius extollit, facilius exprimit, commodius narrat, idque ut libentius, & crebrius fiat, & juvenum, & virorum ingenia acrioribus quotidie stimulis excitantur. Nullum literati hominis munusculum non libenter accipit, perlegit diligenter, mirifice commendat, & quod jam pridem concepit animo, quodque a majoribus acceptum hæreditatis genus per omnes fortunæ gradus firmissime retinuit, beneficiis remunerandum constituit. Ipsam quoque juventutis ætatem, ac linguam sapientissime informandam, doctissimeque instruendam curat: accersivit enim nuperrime acutissimos Philosophos, gravissimos Jureconsultos, valentissimos e cunctis Italiæ, Galliæque Gymnasiis Medicos, ut, quæ religionis dignitatis, opulentis urbs obtinet principatum, ita quidem tutissimus virtutis, sapientiæ, eloquentiæ portus verissime censeatur (97).

ALB.

(97) Indicat instaurationem Romani Gymnasii, a Leone X. maximis sumptibus procuratam: quod facinus maxime commenndat Junior Beroaldus cit. Præf. Hoc loco notatu dignum est, quod cit. Auctor mox subdit, Leonem, nempe X. in primordio, ut ait, & quasi infantia Pontificatus ad literarum augmentum Seminarium erigi curasse; ubi adolescentes natione Grajos gratuito educarentur. Tu vero, inquit, Leonem ipsum alloquens, quoniam utramque linguam optime calles, ad perfectam eruditionem literarum græcarum cognitionem se habes esse pernecessariam, ipsam propæmodum Græciam, quasi in navam Coloniæ deduxisti: Pueros enim ex tota Græcia, in quibus vis ingenii, & bona indoles inesse videbatur, cum suis

Præf.

ALB. Nunc demum reclusam esse concordiam januam diutissime oclusam non puto solum, ac spero, sed etiam polliceor, atque affirmo, quum nulla obtreccionis, ac malivolentiæ calumnia, nulla tergiversationis ansa veræ tranquillitatis, honestique otii inimicis relicta sit. Viget Senatorii ordinis auctoritas, & gratia, utraque ab exteris nationibus non ignoratur; renunciatus est ipectatæ integritatis Pontifex, qui exemplis, præceptisque commissum sibi gregem ad bene, beateque vivendi normam excitat, atque inflammat: mirum est in eo concordiam studium, maximam conciliandam inter Christianos pacis sollicitudo (98), optima utriusque rei, ne dum spei præsentia, quo fit, ut eo duce nos fore voti compotes possim, ac debeam libere affirmare. ALE. Observasti tu quidem non dico orationis meæ seriem, quam sentio fuisse nullam, sed consultationum, actionumque nostrarum progressus. ALB. Observavi plane omnes, observatosque eo pertinere sum arbitratus, quo dirigebantur. Sed tu mihi præstes velim, quod jam pridem recepisti,

I

hoc

Præceptivibus Romam evocasti, ut & linguam ipsi nostram commodius nos traderemus, suamque illi nobis liberalius impartirent, ac per hoc seminarium utriusque gentis literæ altioribus radicibus innixa transferri, ac latius propagari possent. Id quoque mirifice celebrat Marcus Musurus in præf. ad Pausaniam, & in Græca Elegia, qua Aldi nomine Leoni X. inscripsit Platoni editionem, ut refert Cl. Marchio Scipio Massajus in prima dedicatione Epimerid. Ital. Vides etiam lib. I. de arte Poet. ac Petrus Devarius in Præfat. ad librum Matthæi Devarii ejus avunculi de Græcæ linguæ particulis, asserens dictum Collegium, quod Scholam Græcam nuncupabant, ad Montis Quirinalis radices fuisse institutum.

(98) Plura numismata votiva a P. R. Leoni X. quod pacis esset studiosissimus, cusa asert Bonan. de Rom. Pontif. Tom. I. Huc etiam referenda sunt quæ narrat Andriæ Navegerus in Epist. qua Leoni X. primum Ciceronis Grætionum volumen inscripsit.

hoc est reliquum inchoati sermonis, cujus & gravitate commoveor, & suavitate afficio, ornate, splendideque absolvas. ALE. Rem tibi jam præsto, ne te diutius teneam; ornatum vero, atque nitorem præstare nullo modo possum. Multiplicem igitur pacem animo concipiens Leo pedetentim ab initio progressus est. Primum defuncti Pontificis tum propinquos, tum clientes, tum amicos suscepit, ac fovit; eorum neminem inchoatis Magistratibus per injuriam privavit (99): neminem peculatus, repetundarumque per delatores accusatum damnavit, neminem a se tristem dimisit; Ursinos, Columnneses, cæterosque Urbis Optimates nullam necessitudinis rationem habens pari humanitate complexus est (100): revocatos

exu-

(99) Ex quatuor Cardinalibus, quos e gente sua Julius II. creavit, duo tantum superfuerant Xistus Gara de Ruvere Lucensis, ad quem extant Leonis literæ amoris plenissimæ, & Leonardus Grossus de Ruvere Agennensis Episcopus. Hic, ut tradit *Folietæ Blog. Clav. Lig.* supplicibus libellis; tam iis, qui ad forenses res gerendas, quam iis, qui ad beneficiorum distributionem pertinent multos annos integrè præfuit: quod munus etiam sub Leone X. obisse ex iis quæ narrat Lippus, argui potest. Inter vero Julii amicos, & eidem obsequio conjunctos duo item suppetunt præstantissimi Rotæ Auditores, & ab ipso Cardinales Creati, Petrus scilicet de *Accoltis*, vulgo *Cardinalis Anconitanus*, & *Achilles Crassus*, quos beneficiis statim Leo X. prosequutus est, ut testantur plures Epistolæ: quarum aliquas pro Anconitano Pontificatus anno I. datas affert *Old.* in Julio II. reliquæ ad Crassum directæ sunt apud *Petrum Bembum*.

(100) *Omnia idem æquus exiit* inquit *Vit. Novel.* Columnnesibus Pompejum; Ursinis Franciscum Cardinales dedit. Huc spectat quod narrat *Ægidius* in *Hist. XX. Secul. Nicæam & aliud*, ait; *Sancitæ tuæ pacis opus inauditum deducimus de more Senatores; urbs omnis Columnnesem comitatur. Ventum erat ad Columnnesem Dñum. ecce apparent Peræ ornamenta; ubi vidimus utriusque Senatoris insignia Ursinorum; atque Columnnesium, quo Spectaculo nihil a multis Seculis vidit Urbs Roma lætus, ut multi*

exules tranquillo esse animo iussit; Umbriam; Flaminiam; Æmiliam; Etruriam; Picentes; admittis eorum Legatis; benignissimeque auditis; ad Sedis Apostolicæ reverentiã, ac fidem vehementius inflammavit (101); plurimis vel facinorum conscientia; vel inimicorum injuria; vel Principum decreto a Patria relegatis natale solum restituit; idque non minus hostri alicujus prece; quam voluntate adductus fecit: licet enim multis jam periculis didicisset, municipiorum factiones communes esse civium pestes; sibi tamen nullã magis virtutẽ, quam pietate; & clementiã posse omnium ordinum animos ac voluntates in fide; atque officio contineri; perspiciebat; & quum omnia ejus consilia; cuncta decreta; universas denique actiones a senatorio potissimum ordine proficisci oporteret; non singula tantum ejus membra; sed integrum corpus sibi adjunctum quantum efficere potuit; arctissime devinxit: id quod non Hyppoliti solum Estensis fraternã calamitatẽ disjuncti reditus (102); sed illotum quoque reconciliatio; qui recti specie decepti, Gallicas partes sequuti gravissimum propriæ dignitatis; ne dicam nostræ salutis vulnus inflixerant (103): Spectasti tu quantã Pontificis

I 2

sa-

multi spectantium Cælum aburi gratias suspexerint; plures lacrymas fuderint; tanquam fasti felicitatem Seculi quæ in horum Senatorum amicitia perpetuam factionem calamitatem depulsam sentirent.

(101) Vide *Old.* in Leone X.

(102) Hippolitus Cardinalis Estensis doctrina clarus, qui bello a Julio II. Alphonso Fratri illato ab Urbe recesserat; ad quam tandem rediit, creato Leone X. P. M. Veneri amico; cum antea ad illum literas dedisset se, & Fratrem commendans; aliasque in responsum retulisset amoris plenissimas. *Old.* loc. cit.

(103) Cardinales schismatici, quos eadem æstate ejus creationis clementissime pristina dignitati restituit. De his supra.

ſapientia, atque conſtantia, quam integra Se-
dis Apoſtolice Majeſtate, quam exigua confœ-
deratorum offenſione res ipſa ageretur, atque
ita ageretur, ut ſumma Principis in illos cle-
mentia, magna in Eccleſiaſticam dignitatem
reverentia, non minima in confœderatos Prin-
cipes benevolentia conſpiceretur (104): qui-
bus noſtro ordini reſtitutis, ac Lateranenſi Sy-
nodo primo literis, mox nunciis, poſtremo
præſentia per eos ſæpius approbata, reliquos
ejuſdem Concilii conſcios, atque miniſtros paul-
latim evicit: & quum recentiſſimo, inuſitato-
que dignitatis gradu, æſtivi calor magnitu-
dine, ſtipata undique confluentium ſibi gratu-
latum frequentia, tempeſtivis conviviis, pro-
meridianæ ceſſationi, muſicis concentibus, quieti,
& ſomno maximam diei partem impende-
re ab agreſti, imperitaque multitudine dice-
batur (105), tunc maxime præter illorum opi-
nio-

(104) Erroris arguuntur qui contendunt, Cardinales hoſce
in acceſſu ad urbem male habitos fuiſſe, & Tiſerni arce
incluſos, ut e vinculis cauſam dicturi eſſent quos reſel-
lit *Old.* loc. ſæpe cit. Quanta vero Pontificis clementia in
Concilio ſecreto poſt ſchiſmatis abjurationem fuerint
priſtinæ dignitati reſtituti fuiſſe narratur in *Seſſ. VII. hu-
jus Later. Concil.* & a *Guicciard.* lib. XI.

(105) Leonem X. hominem fuiſſe quieti, & hilaritati de-
ditum *Panv.* in *Vita*, *Jov.* ibidem, & *Guicciard.* lib. XIV.
aliique non ſine reprehentione commemorant, ita tamen,
ut multiplices hujus Pontificis animi virtutes non præter-
mittant, neque plurimum illius blandæ, facilisque natu-
ræ tribuendum putent, a quorum partibus etiam nos ſta-
mus. Voluptatibus, honeſtis tamen, Leonem plus for-
taſſe debito deditum fuiſſe non negamus, ſed optimi
Pontificis munera diligenter obiiſſe cum Lippo noſtro af-
firmamus, Neque ſunt audiendi, qui impune jaſtant,
Pontificem huic impuro quoque voluptatum genere uſ-
que a prima ætate fuiſſe inquinatum, de quorum grege
Variuſſus eſt (*Anec. de Flor.*) at qualis ſit hujus Auſto-
ris, ac ſimilium obtreſtatorum apud veritatis amatores
fides, & auctoritas, jam inter omnes conſtat: merito igitur
illum hæc in re paſſim redarguit *Bellius* in ſuo *Diſc.*
Hiſt. Crit. rationibus ad omnem æquitatem compoſitis.

nionem cenſuræ decreta, inſtitutaque matu-
rius conſultare, pacem, & concordiam agita-
re; ſanctiſſimum in Turcas bellum concipere,
Chriſtianis Principibus amicitiam ſuadere, Gal-
lorum voluntates ab inſtituto curſu deſectere
(106), ægras, labanteſque nonnullorum men-
tes divino conſilio fanare, & confirmare: ini-
tium cum Germanis, cum Hiſpanis, cum Bri-
tannis ſœdus ſtabilire (107), communem his
omnibus pacem omni ſtudio conciliare; cun-
ctis denique modis agere, ut compoſitis om-
nium animis, ſublatis diſcordiarum cauſis;
deleta ubique gentium improbitatis labe, tran-
quilla Urbs, quieta Italia, pacatus terrarum
Orbis tandem aliquando videretur. Atque hoc
ipſum quam diligenter, ac ſedulo proviſum
fuerit, ipſarum rerum progreſſus declarat: re-
diere ad fidem Galli, Lateranenſe Concilium
approbarunt, Sedem Apoſtolicam Parentem,
ac Dominam, ut par erat, humillime agno-
verunt (108): firmandæ, ut ſperamus, propè
diem inter Gallos, Hiſpanos, Britannos ad
tempus induciæ (109): mutua cum Germa-
nis, Venetiſque amicitia diu multumque di-

(106) Nam Ludovicus Rex anno ſuperiore Italia exactus,
reconciliatis ſibi per novas fœderum leges Venetis, no-
vum in Italiam bellum paraverat. *Carpeſanus* lib. V.

(107) Fœdus autem hoc initum fuit a Julio II. Vix indi-
cto Piſano Concilio, anno ſcilicet MDXI.

(108) In octava ſeſſi. ejusdem Later. Concil. habita die
Lunæ xxi. Kal. Januarii aſino MDXIII. Ludovicus Rex
Leonis clementia devinctus per Oratores ſuos Claudium
Epiſcopum Maſſilienſem, & Ludovicum de Soleris, adul-
terino Cardinalium Concilio præ damnato, Lateranenſi
adhæſit, illumque uti legitimum approbavit. Vide regias
litteras ibi relatas, in quibus Leo, ejuſque *perſpicua Vi-
te munditia, atque innocencia* impente laudatur.

(109) Anno ſuperiore inter eos pactæ, & iterum ſequenti
anno firmatæ in annum integrum. De his *Guicciard.*
lib. XII.

scylla (110), ejus conditiones ad Pontificis nutum, ac voluntatem sunt delatae (111). Quibus perfectis tantum abest, ut oblatam sibi Mauri, ac Turcae Christianae dignitatis, libertatisque occupandae occasionem temere caperent, ut non modo, quas majorum nostrorum negligentia, avaritia, impotentia Europae partes turpissime occupassent, omnino deserant, sed Africam omnem, atque Asiam Christianae Religionis debitas fusi, fugatique prorsus amittant. Quod quidem ut sperare jure optimo possimus, & Ferdinandi (112), & Emmanuelis (113) Hispaniae, ac Lusitaniae Regum virtus, constantia, pietas effecerunt: qui tametsi domesticis, externisque bellorum periculis assidue premerentur, ita tamen pro Deo, pro Religione, pro Christiana Fide, pro aris, ac focis, pro communi Christianorum nomine con-

(110) Nam post cladem a Venetis apud Vicetiam acceptam de pace accuratius agi ceptum est inter Venetos, & Gurcentem Caesarem Procuratorem ob id Romam ad Pontificem missum qui teste *Parvo*, in hanc curam sedulo incubuit, ut pax inter eos aequis conditionibus fieret.

(111) Guicciard. loc. cit. *Alla venuta del Cardinal Gurcentese fu fatto compromesso da lui e gli Oratori Viniziani di tutte le differenze tra Cesare e la loro Republica nel Pontefice.*

(112) Ferdinandus V. Joannis II. Aragoniorum Regis filius summis laudibus efferendus, Saracenos Hispania exterminavit: Judaeos e suis finibus ejecit, Granatense Regnum expugnavit ob id *Catholici* cognomine nobilitatus *Marian*. lib. XXX. Spond. ad annum MCDXCII. & Carolus Verardus Caesenatensis in Hist. Boetica eleganti meo quidem judicio, & per Interlocutores digesta, & acta *ludis Romanis*.

(113) Emanuel hujus nominis Primus Lusitaniae Rex; initio ejus Regni Judaeos coegit ad Catholicam fidem: Mauros inde ejecit, civitates, & oppida in Africa munitissima, extremas Orientis solis regiones subegit, in easque Christianam Religionem propagavit. Consulendus *Hieronymus Osorius*, qui de rebus ab hoc Rege fortiter gestis Historiam accurate scripsit libris XII.

contenderunt, ac dimicarunt, ut saepe validissimas hostium copias fugarent, funderent, profigerent; refertissimas, ac ornatissimas classes caperent, atque deprimerent, munitissimas eorum urbes expugnarent; illustrissimas Insulas recuperarent, non obscuras denique Provincias in deditioem acciperent. Itaque amotum jam metum non ab intestinis modo, ac nostratibus, sed ab externis, alienisque periculis tibi persuade. Nec te suspensum, atque ancipitem habeat, quietum, ac mitem esse Pontificis animum, pacatas Sedis Apostolicae Provincias, securos Florentinos, exhaustos, ac sollicitos Insubres, diuturno concussam bello reliquam Italiae partem, distractos Gallos, ancipites Hispanos, defessos Britannos, detentos a finitimis Pannonos, Boemos, Sarmatas; totum adhuc terrarum orbem recentissimo bellorum incendio astuare: excitabitur enim Pontifex, excitabitur, delectum habebit, terra, marique propriis viribus exercitum comparabit: Florentini ad tam grave periculum, discrimenque belli nervos deproment: vires, ac sanguinem belli recipient Veneti, prompti, paratique aderunt Insubres, debilitatas Italia vires resumet, vexillum praferent Germani, copias educent Galli, veteres victorias, pristinosque triumphos non contemnent Hispani, commune periculum propulsabunt Britanni, hos Pannoni, Boemi, Sarmatae avidissime consequentur, eritque non corporum modo, animorumque sperata pax, sed gloria, & felicitas sempiterna. ALB. Merito igitur omne mortalium genus Leonis X. creatione multis de causis gratulari, diutissimam illi felicitatem exoptare, plurimas divinae providentiae gratias agere, vestri ordinis innocentiam, integritatemque assidue venerari, illi dignitatem, salutem, auctoritatem

remque perpetuam precari debet. Quid enim eo Principe exoptabilius? quo summis mediis, infimis tuta est salus? certa spes, vera tranquillitas? Nihil horum desideramus: quid religionis observantia præstabilius? quid Sacerdotum reverentia ubique gentium opportunius? pristina Senatorii ordinis auctoritas revocata non minus apud exteras gentes, ac nationes, quam in hac urbana luce, in hac peregrinorum, ac civium frequentia, in propriis sedibus colitur, ac observatur; quid fructuosius castigata privatæ, ac publicæ vitæ norma? Celebratur frequentissima Synodus: sublata est, quantum intelligo, inter Sacerdotes largitio, & corruptela, tollendæ prorsus superbæ, delendæ avaritiæ, conculcandæ libidinis, amovendæ ab oculis injustitiæ meliora quotidie sanciantur decreta (114). Quid denique communi inter Christianos pace magis est necessarium? ut supplicii improbi, boni præmiis afficiantur, recludantur viæ, tollantur præsidia, hybernent, atque æstivent vicissim copiæ, exercentur mercaturæ, patefiant portus, terris itinera, littoribus mare, mari littora, sua cuique loco, tempori, personæ, commoda tandem aliquando restituantur? Hæc simul omnia Leonis X. prudentia molitur, discutit, suscipit, inchoat, & quantam vix animo complecti possum, serenitatem, tranquillitatemque huic urbi, Italiæ universæ, Christianis omnibus allaturus prope diem videtur quod quidem etsi nemini esse ingratum potest; tibi tamen tantam affere lætitiâ, ac voluptatem debet, quantam domesticus splendor, quantam honoris, ac dignitatis amplitudo, quantam maxima, ac clarissima virtus, quantam

(114) Vide Sess. IX. hujus later. Conc. & sequentes apud Labbeum Tom. XIV.

optimarum disciplinarum peritia abs te & potulant, & expectant. Es enim iis majorum imaginibus insignitus, eâ sobole propagatus, ut nihil non grave, magnificum, regium debeas exoptare. Huc Cardineæ dignitatis amplitudo accedit, quæ nihil fordidum, nihil abjectum, nihil demissum sibi deponat, eo præsertim virtutum præsidio munita, eo, inquam, doctrinarum lumine illustrata, quo nec firmitus, nec splendidius excogitari quidquam possit; quippe qui tam integre privatim, ac publice agis, eam de te omnibus spem, immo lucem potius affers, ut tuas cuncti privatas, ac publicas actiones suspiciant, modestiam admirentur, æquitatem probent, castigatam familiæ normam obstupescant. Optimis autem artibus, honestisque disciplinis tantum omnium judicio delectaris, ut quum a teneris annis in utriusque linguæ profeceris facultate, nunc ætate provectus, siquid tibi a privatis, publicisque occupationibus relictum est otii, veterum historiâ excutias, Poetarum deficias non contemnas, oratorum volumina percurras; Philosophorum præcepta læctites, sanctissima Religionis præconia frequenter evolvas, ubi non minus animo, quam ingenio, virtute, quam doctrina profecisse omnium judicio existimaris. Itaque uni tibi præ cæteris jure optimo lætandum puto, & velut optimo artifice hoc tuo in primis præclaro opere exultandum (115). ALE. Ego quidem eo me nec naturæ, nec

(115) Habes hic tam insignis Cardinalis actionum compendiosam narrationem, ex qua nonnulla colligere poteris a reliquis Vitarum Pontificum, & Cardinalium Scripturis omnia. Non est autem difficile investigare causam cur Alexander præcipuus Leonis X. creationis auctor extiterit, dummodo animadvertamus, illum a teneris annis in Mediceorum domo contubernalem, in celeberrima Lau-

nec fortunæ, nec animi, nec ingenii cultu esse adornatum perspicio, quem ipse mihi præclara nobilitate, summa virtute, singulari doctrina, ac plurimo rerum usu præditus tribuisti; siquid autem vel Majorum vestigiis, vel Parentum disciplinæ inhærens tum animo, tum ingenio sum consecutus, siquid non improbandum aut olim egi, aut nunc ago; id Deo Optimo, cui quidem intimas cogitationes, ne dum externas actiones ab incunabulis dedicavi, id, inquam, Christianæ Religionis, quam, ut integerrime ad extremum vitæ actum profiterer, omni studio laboravi, tribuendum existimes: siquid operæ, industriæ, vigilantia, quod video fuisse minimum, ad Leonis X. Creationem contuli, id feci, ut Dei Optimi voluntati parerem, ejusque Religioni fidelissime confulerem, quibus nostri ordinis auctoritas, nostrarum actionum opinio, secundum virtutem, honestatemque vivendi formula, communis Christianorum concordia, vera tranquillitas, certa felicitas continentur: quæ quidem, si quo cœperunt cursu procedent, & nos uberrimos nostri consilii, ac judicii fructus reportabimus, & creati a nobis Leonis X. gloria nec modicis terrarum finibus concludetur, nec unum, alterunive seculum permanebit, sed ad Cœlum, ad Dei aspectum perveniens, summa illa, perpetuaque beatitudine perfruetur. Hoc tu, Alberte optime, exopta, hoc spera, hoc meditate, unum hoc, quod fecisti, hæcenus animo, ingenio, consilio, & tua ista me-

gentii Schola Græcas, ac latinas literas didicisse, quo etiam tempore, teste *Ciac.* peculiarem cum Joanne, qui postea Leo X. fuit, amicitiam contraxerat. Quare verosimillimum videtur, Alexandrum beneficiorum memorem, cum de creando novo Pontifice in Comitibus ageretur, Joannem veterem amicum, Juniorum Cardinalium, in vis, opera etiam adjutum in Pontificem eligi curasse.

raelisui sermonis gravitate, ac elegantia, quæ in primis excellis; quantum in te erit, persuade. *ALB.* Ita faciam, sed nunc, si placet, jam sit colloquendi finis, quem nec mea voluntas, nec rei ipsius, de qua sumus collocuti, sarietas, sed componendæ inter Germanos, ac Venetos amicitia negotium præscribit (116); quod utinam e Republica succedat. Tu vale: ego me ad Gurcensem, a quo dudum accersor, statim confero, ne, siquid boni statui, ac decerni possit, diutius differatur. Vale.

Hæc Epistola præfixa est tribus Libris de Comparatione Reip. & Regni.

Raphael Brandolinus Junior Lippus Joanni

Med. Diac. Card. Sanctæ Mariæ in

Navi Nuncup.

S. D.

Quum nullum majus, atque præclarissimum indicium defunctorum memoria conferri beneficium possit, quam siquid assumatur, quod eorum laudi sempiternæ consulat, & per eos posteritatem maxime ad virtutem accendat; statui Lippi Germani lucubrationes in unum redactas in lucem proferre, ut ex hac ejus industria, exactaque diligentia, in summa præsertim rei familiaris angustia, & miserabili, quæ mihi cum illo communis est, cæcitate, & quam ipsam rerum; ac temporum varia conflictatio reddit miserabiliorem, illi quidem nomen & gloria, quam meretur, mihi saltem hujus lucis aliquid comparetur; quippe quod

(116) Erant enim maximæ inter eos componendæ pacis dissensiones, quas recenset *Guicciard.* lib. XI. Gurcense multa pro Cæsare postulante, quam quæ Veneti tradere vellent.

quod ille non in fortunis, quas ad usus vitæ necessarias non multum cupivit, vel in corporis venustate, cujus caruit eminentissimo sensu, sed in virtute, ac honestate, & divinarum rerum contemplatione felicitatem omnem esse ponendam existimavit. Ego, etsi ejus in hoc genere laudis assequendi spem mihi effulgere non videam, imitandi tamen, ejusque vestigiis inhærendi studio semper incumbo. Quare cum ejus tres libros de comparatione popularis, & Regii status in Rempublicam, quos Pannoniæ inceptos, Florentiæ per Dialogos absolverat nuper evolvissem, tuo Nomini dicandos multis de causis mihi proposui, tum quod eos ille, interveniente Mathiæ Corvini optimi, ac sapientissimi Pannoniorum Regis obitu (cujus maxime hortatu opus aggressus fuerat) Laurentio Medici Parenti tuo, unico seculi nostri virtutum, ac literarum omnium præsidio, summoque non Florentinæ modo Reip. totiusque Regionis Etruscæ, sed universæ Italiæ ornamento censuerat offerendos; ut qui, justissimo, ac munificentissimo nostræ tempestatis rege amisso, eum civem deligendum videbat, cui tam præclarum opus merito debebatur, cujusque vel judicii gravitatis, vel ingenii acumini, vel rerum peritiæ posset maxime confidere; tum quod ipse veracissimam prudentiæ, pietatis, munificentæ fortitudinis, innocentæ, cæterarum Parentis virtutum imaginem referens dignissimus procul dubio videris, qui super jus quoque hæreditarium paternæ laudi, immortalitatisque succedas. Quandoquidem tute tibi ab ineunte ætate vitæ formulam præscripsisti, ut sive publice sive privatim in summo rerum discrimine versareris peropportuno, & prope divinum consilium captares, quo Fratres, atque propinquos omnes

nes difficillimis temporibus sublevasti; quique sic etiam in te pietatem semper habuisti, ut omnibus præditus virtutibus non immerito judicareris, quibus ea inopes beneficentia es complexus, ut qui tuæ rei familiaris angustiam metiretur, te Parentem quoque Laurentium in eo virtutis genere facile crederet superasse; qui autem ignoraret, illum in te revixisse arbitraretur. At domesticas per exilium calamitates, quæ multiplices, ac prope infinitæ fuerunt, acerrimos quoque invidorum morsus qua animi celsitudine, ac innocentia pertulisti? ea nempe, qua unus ex fortissimis, innocentissimisque nostrorum temporum viris posses jure optimo judicari. Accipe igitur, Pater humanissime, Parentis prius lucubratum, deinde tuo nomini recognitum opus, quod uni tibi, & gratissimo Filio, & unico Familiæ Medicum fulcimento, & viro optimo, & pientissimo Cardinali, & denique paternæ laudis hæredi merito dedebatur accipe, inquam ac unamcum existima, hanc tibi dedicationem optimum revisendæ Patriæ omen, ac certissimum esse. Quod si tibi tandem aliquando, ut ego quidem, & optimus quisque civis maxime sperat, contigerit, & illa per te pristinum decus, ac veterem dignitatem, & tu per illam incredibilem gloriam, sempiternamque ad posteros memoriam propagabis. Vale.

*Epistola præfixa Orationi de Laudibus
Cosmi Medici.*

Raphael Brandolinus Junior Lippus Leoni X.
Pont. O. M. S. ac Fel. Dicit.

Cogitanti mihi quo potissimum gratiæ genere assiduam tuam erga me beneficentiam

tiam; ac pietatem attingerem, ne superbus; ingratusque judicaret, hodiernus abs te dies honestissime celebratus, accurrit; quo & duo firmissimi Orthodoxæ Religionis testes singulari a Christianis observantiâ venerantur; & Cosmi Proavi tui præstantissimi id ætatis; multorumque ante seculorum civis; ac viri domesticæ actiones, externaque facinora repetuntur. Itaque rem tibi facturus non ingrati Orationem de Cosmi; & Damiani Martyrum constantia; deque majorum tuorum; ac præcipue Cosmi primarii Medicæ posteritatis; & gloriæ Auctoris virtute; ac sapientia autumnalibus hisce noctibus quam potui refertissimam lucubravi; atque hoc ipso celebritatis die Beatitudini tuæ offerendam putavi; ut quem tu melioribus commodis; amplioribusque beneficiis quotidie prosequeris; illum benignissimæ tuæ voluntatis immemorem, ingratumque nunquam censes: & qui abs te erigi, illustrarique minus desperat, tuæ; tuorumque immortalitatis studiosissimum apparet. Quamobrem; liberalissime Pater, libellum hunc non obscurum tuæ sapientiæ; ac pietatis testem (ut mea omnia consuevisti) libenter accipe; & perlege diligenter; quem, sicut spero, & opto, non improbabis; uberrimos ego autumnales hujus lucubrationis recipiam fructus, tu vero fructuosum; ac salutem majorum tuorum virtutis, atque fortunæ quotannis recolendæ consilium; institutumque diutissime servatum tantò posthac studio; talique observantia retinebis; ut avitis; & paternis actionibus excitatus; ac inflammatus, res ab utroque gestas non æques modo; sed; quo excelsiori; illustriorique dignitatis loco sita est laus tua, longissimo etiam spatio antecellas. Vale.

Epi-

Epistola nuncupatoria præfixa Orationi ad Concilium Lateranense.

Raphael Brandolinus Junior Lippus Dominico
Grimano Episcopo Portuensi S. R. E.
Cardinali S. Marci S. P. D.

ET si jam pridem statueram diuturnam meam; singularemque in te observantiam, ac tuam in omni doctrinarum genere præstantiam mediocri aliquo ingenii testimonio ipsis quoque posteris, ne dum præsentibus attestari; quàm tamen nihil mihi ad scribendum otii privato, publicoque docendi negotio dari; concedique animadverterem, quo incredibili meo tuarum virtutum studio, nec minimæ amplitudini tuæ de me spei facere satis; meum hoc utriusque officii consilium; ac institutum hactenus mecum ipse continui ratus auctoritate; & beneficentia tua aliquando fore; ut *quanti te* ego jure optimo semper fecerim, atque hodiè faciam non obscuris literarum monumentis perquam facile cognosceres. Nuper autem tibi lucubratam a me de celebrandæ synodi fruge, ac necessitate interruptis noctibus Orationem cognovisses; & pluribus non semel precibus efflagitasses; illam ego tibi non potui non exhibere, non quidem ut singularis meæ in te observantiæ pignus; tuarumque virtutum testimonium, sed ut propensissimi mei in amplitudinem tuam studii; deditissimæque voluntati præsagium: nam quod vel pignoris; vel testimonii loco a me tibi munus debetur; non nisi adepto per te scribendi otio præstari poterit. Sed hoc erit acerrimus quidem juveni mei stimulus; quoniam mearum exercitatio-
nium

num. genus perexigua. animi tranquillitate, nec magno domesticarum rerum commodo tecum ipse perpendens, quantum ego Christianæ Reip. si Principum beneficentia mihi liceret, essem lucubrationibus, atque vigiliis profuturus, poteris verissime judicare. Quapropter orationem ipsam, quæ liturarum plena se domesticis arculis continebat, tuo & hortatu, & iussu pro viribus sedulo castigatam accipe, acceptamque pro tui animi candore, pro ingenii ubertate, proque insigni tuarum & cogitationum, & actionum integritate perlege diligenter; inuenies enim illic, quam tu semper servasti, exactam & privatæ, & publicæ vitæ normam, conspicias Christianæ Reip. statum veterum constitutis, exemplisque comprobatum, intelliges exoptatam omnibus pacem, & concordiam, si tantum divina clementia humano generi beneficium aliquando concedetur, magno Christianis & usui, & præsidio futurum, accipe, inquam, illam, & ut mihi pollicitus es, utque Christiano nomini, atque imperio fructuosum ejus postulat argumentum, diligentissime percurre quam si a te serenâ fronte, ac hilari vultu acceptam, & inspectamque insigni aliquo erga me beneficio cognoscam, & ego tibi tuarum laudum, quæ plurimæ sunt, & maximæ, non indigna quandoque testimonia exhibebo, & tu, ut amplissimus vir, ut sapientissimus Christianæ Reip. Senator, ut religiosissimus denique Cardinalis meo isti Orthodoxæ Religionis servandæ, ac propagandæ studio non nihil fortassetribuendum putabis. Vale.

F I N I S.

ERRATA.

CORRIGE.

| Pag. | lin. | | |
|-------|------|----------------------|--------------------------------|
| vii. | 10. | <i>munificentiam</i> | <i>munificentia</i> |
| xii. | 5. | Plumbantum | Plumbantum |
| | 2. | ult. efferret | afferret |
| 4. | 36. | dubitemur | dubitemus |
| 8. | 29. | humanitate | humanitatî |
| 12. | ult. | alet | alat |
| 22. | 13. | genere | gessere |
| ibid. | 34. | hac | hæ |
| ibid. | 41. | <i>I Santi</i> | <i>i Signori</i> |
| 24. | 28. | & Brandolinis | a Brandolinis |
| 25. | 4. | erutis | eruta |
| 28. | 34. | variæ | varia |
| 42. | 25. | fructibus | fluctibus |
| ibid. | 31. | Julius | Tullius |
| 45. | 17. | cum | eum |
| 54. | 9. | Tam vero | Jam vero |
| 56. | 27. | puteo | pluteo. |
| 61. | 34. | Iste Ms. alibi dixi | Iste Ms. pervenerit alibi dixi |
| 69. | 19. | cuncta | cuncto |
| 73. | 18. | profuendam | perfruendam |
| 75. | 14. | abdicaſtes | abdicaſſe |
| 83. | 9. | parte | parta |
| 84. | 2. | rerum | rarum |
| 85. | 13. | oppugnarentur | oppugnaretur |
| 88. | 32. | capturum | captivum |
| 111. | 29. | sibi | tibi |
| 117. | 9. | reriorum | rationem |
| 122. | 38. | <i>affirmant</i> | <i>affirmat</i> |
| 123. | 5. | flagitionum | flagitorum |
| 125. | 18. | delibari | delibavi |
| 133. | 35. | illumque | illudque |
| 142. | 27. | autumnales | autumnalis |
| 143. | 8. | mediocri | non mediocri |
| ibid. | 15. | facere | facerem |

Quæ vero ad orthographiam, & ad interpunctionem attinent Lectoris diligentia corrigenda, ac restituenda relinquimus.